



I. D. H.

NOVA

PATHOLOGIAE

DELINEATIO.





ROSTOCHII,

EX OFFICINA RÖSENIANA. MDCCLV.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



L. B. S.



Quibus abundat medicina, quin etiam obruta fere eſt, inſtitutionibus pathologicis præſentes addens, num irritum plane inceperim conamen, penes Te, Benevole Lector, judicium eſto! Novum appellavi compendium: non tam propter res, in eodem delineatas, eæ namque, ſi generatim ſpectentur, in omnibus ejusmodi libris proponi ſolent ac debent; quamvis forte, ne hoc

 qui-

quidem ſenſu, cognomine penitus ſit indignum: ſed potius propter materiarum ſelectum et ordinem. Id enim, ſpero, apparebit perlegenti, me, et quae huc revera pertinent, ſingula breviſſimis annotaſſe, et, quae alterius ſunt loci, Pathologiae meae non immiſcuiſſe: quod in aliis compendiis plurimis, ne recentiſſimis quidem nonnullis exceptis, aliter factum video, quorum ſcilicet autores, vel generalem doctrinam ſeparatim tradendo, eam mirum quantum extendunt, ſpecialia generalibus et pathologicis varia peregrina, imprimis chirurgica, eaque ſingula, quod hac methodo fieri aliter non poterat, imperfecte explicata, permiſcentes; vel de morbis ſimplicibus, ceterorum omnium funda-

men-

mento, aut penitus ſilent, aut in iis enarrandis juſto ſunt breviores, nec locum ipſis debitum facile aſſignant. Hujus ſaltem opinionis veritatem, mihi viſam, coepto occaſionem ſubminiſtraſſe fateor. Quæcunque vero, Lector Benevole, in hisce pagellis minus fundata deprehendes, aut omnibus numeris non abſoluta; id quod in Morborum ſimplicium Doctrina, propter anteceſſorum ſuper materia iſta penuriam, hac vice mihi, primo eandem ſic, quemadmodum factum eſt, proponenti inevitabile forte fuit, ut eadem corrigas, utque deſideranda ſuppleas, rogo. In citandis autoribus parcior fui, ac quidem potuiſſem; ſi Diſſertationes, paragraphis adjectæ, excipiantur: non enim præſenti inſtituto adeo

neceſſarium cenſui, illos narrare copio-ſiores. Ea interim, quæ e præſtantioribus mox ſub initium partim, partim in progreſſu ſermonis, hinc inde, annotavi ſcripta, et in his ulterius reperiunda allegata, nec non reliqui cuilibet erudito noti fontes, huic ſatis medebuntur defectui.

Calend. Sept. MDCCLV.



CON-



CONSPECTUS OPVSCULI.

Pro-



Prolegomena.



§. 1.

SANVS dicitur homo, quicunque ſtatu corporis, ſingularumque ejus partium, fruitur naturali, perfecto, et illæſo; atque eam ob cauſam functiones, homini competentes, ſine impedimento peragit: iidemque effectus, functiones nimirum rite procedentes, neceſſario ſequuntur, quamdiu ſtatus partium corporis quarumlibet naturalis ſive *ſanitas*, cum cauſa, perſiſtit. Quamprimum vero conditio iſta perfecta partium turbatur, et functionum integritas ceſſat, et *morbus* adeſt.

Sanitas hoc loco in ſenſu ſumitur ſtrictiori, quam vulgaris loquendi mos, in communi vita, eidem ſæpenumero tribuit.

§. 2.

MEDICINA, ſanitatem hominis (1) vel conſervare integram, vel amiſſam recuperare docens, praeter ſcientias quasdam præliminares atque theoreticas, in duas potiſſimum diſpeſci ſe patitur partes practicas, et quoad finem præcipuas, *Hygieinen* nimirum, quæ agit de conſervanda ſanitate, nec non *Pathologiam*, quæ eandem, ſi fuerit deperdita, reducendam contemplatur. Unde, qui duplex hocce exſequi propoſitum didicit, *medicus* appellari debet.

* *Theoreticis* diſciplinis annumerantur *Anatomia*, *Phyſiologia*, *Materia medica*, *Pharmacia*, *atque Doctrina de formulis præſcribendis*: quæ omnes hanc denominationem potiſſimum gerunt in oppoſitione cum practicis ſupra dictis. Alias ſcientiæ medicæ ſingulæ, vel theoretice vel practice ſciri poſſunt. Et quamvis doctrinarum earundem diſtributionem alii autores aliter, quam hic factum, inſtituant; quos inter e. g. STOLLIUS in *der Anleitung zur hiſtorie der mediciniſchen Gelahrtheit* ad partes medicinæ theoreticas refert Anatomiam cum Phyſiologia, Pathologiam, Semioticam et Materiam medicam; ad practicas vero Therapiam, Pharmaciam, Chirurgiam, Diætam: ac *Chriſt. Gotl.* LUDWIG in *Inſtitut. Phyſiolog.* §. 46. Phyſiologiam, (in qua ipſe autor Hygieinen ſimul docet) Pathologiam et Therapiam partes dicit theoreticas; medicinam autem clinicam, chirurgicam, forenſem, caſuiſticam-

camque practicas facit: data tamen divisio propterea, quod ipsam pro fundamento habeat definitionem, præferri meretur.

** Nonnulli medicinam in nuda sanitatis deperditæ restauratione occupatam volunt, nec ejus conservationem huc pertinere, contendunt, e. g. G. C. SCHELHAMMER. in *Art Medend. Univers.* Vol. I. *Propæd.* Cap. I. §. VIII Ast vero iidem autores ordinarie, ubi de peste agunt, præservandi methodum suppeditant, sicque sibi ipsis contradicunt: et SCHELHAMMERVS Vol. III. Lib. IV. Cap. I. perfectam valetudinem conservandam docet. Ecquis præterea, excepto medico, homini sanitatis jacturam timenti recta consilia dabit?

*** Num *ars* sit medicina, an *scientia* potius dici mereatur, inutilis antiquiorum fuit disceptatio. Ultimus ipsi tribui potest titulus, quatenus theoretice addiscitur: prior autem, quatenus exercetur practice.

**** Restat, adhuc alia, eaque sat spectabilis, medicinæ pars, *Forensis* nimirum sive Legalis *medicina*. Ea vero non est, nisi accessoria: nec proponit, nisi momenta quædam, ex antea allatis disciplinis medicis collecta, quorum in specie explicationem, præsenti cuidam casui peculiari accommodatam, Judex civilis, ad dirimendas debite, quæ coram ipso vigent, lites, a medicam artem profitentibus quandoque exposcit. *Chymia* præterea, atque *Botanica*, nec non *Historia naturalis*, licet insignem medico præbeant usum, inter Theoreticas medicinæ partes non enumerantur, sed pro penitus separatas habentur, quoniam, quæ ex iis-

dem medicina sibi vindicat in Materia medica atque Pharmacia acquiscuntur.

***** Obiectum medicinæ est corpus humanum, non vero brutorum: quamvis et in his fundamenta medica, occasione data, quam utilissime adhibeantur; maxime in animalibus perfectioribus, idque propter structuræ partium corporis analogiam. Non homo tamen huc referendus est, quatenus vivit. id enim, vitæ nimirum simul præsentis necessitas, sponte liquet: sed quatenus sanitatis jacturam vel timet, vel jamjam experitur.

§. 3.

Mediorum, quibus ad obtinendum finem medicina utitur, tria adsunt genera: rerum scilicet, nonnaturalium quibusdam dictarum (27, ***), sive eorum, quæ ad nutriendum et conservandum corpus spectant, moderatio atque usus legitimus, quem *Diæta* proponit; porro medicamina externa, et instrumenta varia, quorum electionem atque applicationem congruam *Chirurgia* docet; tandemque interna medicamenta, ad *Pathologiam medicam*, *sive Medicinam strictius dictam* referenda.

* *Medicamenta*, id est, secundum principia Materiæ medicæ, corpora ea naturalia, quæ, humano corpori communicata, ipsius statum mutandi atque meliorem reddendi facultate gaudent; quæque opponuntur par-

tam *veneris*, corpus itidem mutantibus, aſt et ſimul deterius, quam antea erat, reddentibus; partim *alimentis*, quæ non tam mutant corpus, quam potius ſuccos deficientes reſarciunt: quando ad conſervandam ſanitatem adhibentur, non conſiderantur tanquam medicamenta, ſtatus namque ſanus corporis, in meliorem evehi, quod hæc ipſa, qua talia, ſemper faciunt, nequit; ſed nude habentur pro alimentis; quæ inter alias jamjam, imprimis ſi ex vegetabili regno deſumpta perluſtrentur, varia quotidiano uſui culinari inſerviunt, mutato aſſumendi genere, doſi atque intentione, facillime ad claſſem medicamentorum tranſeuntia, prouti id de petroſelino, majorana, ſinapi, pipere, cinamomo, cepa, totque aliis, facili negotio patet. Ad generoſiora interim alimenta eadem tunc eſſe referenda, haud difficulter perſpicitur.

** *Chirurgia*, in quantum ſanitati conſervandæ ſtudet, partem conſtituit *Hygieines*: in quantum vero morbis medetur, ad *Pathologiam* referenda eſt. Hujus interim artis ambitus id jam dudum effecit, ut, tanquam ſeparata a reliquis medicinæ partibus doctrina, in peculiaribus abſolvatur libris, adeoque pro ſpeciali medicinæ parte practica habeatur. Hi ipſi ergo autores chirurgici de remediis externis, *quæ quippe penitus non ſunt hujus loci*, reliquiſque ad chirurgiam ſpectantibus, ulterius conſulendi veniunt.

§. 4.

Medicinam, quoad primam ejus originem, maxime quoad medicamentorum, viriumque eorundem, cognitionem *casui fortuito debere ortum*, ipsa res, et communia scientiarum humanarum initia docent. Eandem quoque *non nisi successive majus acquisivisse incrementum*; atque ad illum, quo hodie gaudet, præcellentiæ gradum, non nisi paulatim esse evectam, antiquissimorum librorum cum subsequentibus singulis, ad hodiernos usque, comparatio testatur.

Antiquissimis temporibus ægroti in viis publicis palam exponebantur, ut prætereuntes, a similibus forte morbis sanati, consilium suppeditarent. Temporis successu medici aderant, quos inter primus refertur AESCULAPIUS, in arte sua adeo præclarus, ut post mortem in Deorum numerum reciperetur, inque ipsius honorem templa exstruerentur Hujus posteri, in iisdem templis et sacerdotio fungebantur, et simul medicinam faciebant: atque, qui medica ope indigebant ægroti, templa adibant, ut, per insomnia maxime, auxilium quærerent. In his, aliisque ejusmodi, templis sanati subinde tabulam erigebant votivam, cui et morbus et medela erant inscripta: donec tandem alii accederent medici, ægrotos quoslibet in ædibus propriis visitantes, atque sic *medicinam* introducentes *clinicam*. Primi interim medici morbos tantummodo externos tractabant, internae vero ægritudines

nes ad iram Deorum immortalium transferebantur, donec et horum medicina tandem innotesceret. Vid. CELS. *de Medicin. Libr. VIII.* in Præf. Libr. I. Joh. Henr. SCHULZ. *Compend. historiæ medicæ.* Herm. CONRING. Diss. de *Incubatione in fanis Deorum medicinæ causa olim facta.* Resp. Henr. *Meibom.* Helmst. 1659. Carol. Frid. HUNDERTMARK. Diss. *de artis medicæ per ægrotorum apud veteres in vias publicas et templa expositionem incremento. Resp.* Joh. Benedict. *Carpzov.* Lips. 1739.

§. 5.

Medicinæ cognitionem sibi comparaturus, ut a Theoreticis ejusdem partibus exordiatur, methodus suadet. Isque optime sibi consulit, si omnium primo ex *Anatomia* structuram corporis humani ejusque partium addiscat: deinde, *Physiologia* viam monstrante, harum partium usum et agendi modum perlustret: posthæc et corporum naturalium, quæ ad rem medicam spectant, eorum præparationem, ac præscriptionem, e *Materia medica*, *Pharmacia*, atque *Doctrina de formulis medicis componendis* hauriat. Atque tum demum, finita hac præparatione, partes adeat practicas.

* Antiquiores nonnulli, initium in docenda medina facientes a Physiologia, hanc reddunt instituti rationem, quod ante omnia finis medicinæ, sive sanitas, quam Physiolo-

ſiologia, ex mente eorum, corpus ſanum pertractans, detegit, notus eſſe debeat: vid. e. g. SCHELHAMMERUS antea cit. Quis vero eſt, qui perſpicere non valeat, ſanitatem, id eſt, ſecundum hoſce autores, actiones hominis ſani, nullatenus poſſe explicari aut concipi, absque prævia ſtructuræ partium corporis, quam Anatomia ob oculos ponit, eaque intimiori, cognitione? Unde et ipſi hi autores phyſiologicis ſuis poſitionibus anatomica varia, ſed imperfecta, miſcere coguntur.

** Præter diſciplinas prædictas præliminares, quarum cognitione medicus carere abſolute nequit, aliæ adhuc reſtant, quas didiciſſe antea, et ſupradictarum ſtudium maxime facilitat, et ad bene eſſe facit; *philoſophia* nimirum, *matheſis* atque *phyſica*, et variarum gentium *linguæ exoticæ*: quarum ſingularum uſus, medico futuro inſignis, ſponte pateſcit. Priores jam antiquitus adeo arcte cum medicina connexæ ſunt creditæ, ut inde proverbium vetus fuerit enatum; *Ubi deſinit phyſicus, ibi incipit medicus.* Linguas vero exoticas callens, varia, quæ gentes exteræ vernacula lingua edunt, ſelecta intelligere valet, nec in alterius interpretatione, cujusmodi laborem toties minus accurate confectum experientia teſtatur, acquieſcere, aut inventa penitus intacta relinquere, cogitur. Arabica interim lingua, aſtronomia, aliisque nonnullis, quæ ſimul commendat CONRINGIUS in *Introduct. in art. med.* Part. Poſt. ſuperſedere hodie medicus poterit facilius, quam quæ idem autor, pariter ac alii, eandem mate-

materiam commentati, de decore externo, taciturnitate circa morbos celandos, remediorum generosiorum cauto usu, evitandis rixis cum sodalibus, calumniisque vel clandestine vel aperte divulgatis, etc. monet. His ultimis, id est, vitandis, jungi etiam meretur uroscopiæ abusus, cæteraque adhuc, quæ abunde castigaverunt ECKHARD *im medicinischen Maul-affen.* E. G KURELLA in *der Entdekkung der maximen ohne Zeitverlust und mühe ein berühmter und reicher Arzt zu werden.* Phil. Sam. HORN. in Diss. Epistol. *de Neo-medicorum quorundam ineptis, perversis, et dolosis famam ac ægrotantium favorem sibi comparandi mediis.* Gryph. 1748. variique insuper alii.

*** Vid. Frid. HOFFMANN. Diss *de Anatomes in praxi medica usu.* Respond. Joh. Anton. *Dern.* Hal. 1707. Laur. HEISTER. Diss. *de Anatomes subtilioris utilitate.* Resp. Joh. Carol. Hahn. Helmst. 1728. Joh. IUNCKER. Diss. *de Usu Myologiæ medico.* Resp. Georg Dan. *Bæssel.* Hal. 1730. Joh. ISOARD. Quæst. Med *Suntne habiliores ad artem medicam, qui imaginatione præpollent?* Resp. Joh. Jac. *Belletesle.* Neg. Paris. 1736.

§. 6.

Autorum, medicam in scriptis suis scientiam proferentium, insignis nostro ævo reperitur numerus. Qui omnium est antiquissimus, ideoque *medicinæ parens* a nonnullis salutatus, HIPPOCRATES, natione *Græ-*

cus; eumque explicans Claud. GALENUS; atque, hoc ultimo aliquantum antiquior, Aur. Corn. CELSUS, gente *Latinus*: licet tanta hodie, qua olim, autoritate non amplius floreant, nec propter maxime auctos inde ab eo tempore anatomiæ profectus, hodiernæ medicinæ æquiparari queant: suis tamen in artem medicam meritis longe superant, qui eosdem ordine excipiunt, *Arabes* et *Latino-barbaros*. Recentioris ævi, cujus initium cum fine Seculi P. N. C. XVti et principio Seculi XVIti coincidit, autores, propter diversas suas hypotheses, pro parte e Philosophia desumptas, inque medicinam introductas, in quatuor classes generales dispesci commode possunt, quaslibet tamen in alias iterum specialiores abeuntes. *Galenici* ex iisdem dicuntur ii, qui, antiquioribus temporibus proximi, uti Aristotelico-scholasticæ philosophiæ, sic et Galeni placitis medicis, subscripserunt, e. g. LEONICENUS, FRACASTORIUS, MANARDUS, Jac. SYLVIUS, BOTALLUS, Leonh. FUCHSIUS &c. quo etiam referendus adhuc est antea commemoratus SCHELHAMMERUS. Horum adversarii, *Chymici*, præeuntem habuerunt THEOPHRASTUM PARACELSUM: hucque pertinent, Joh. Baptist. AB HELMONT, Franc. DE LE BOE SYLVIUS, aliique. *Stahliani* præceptorem G. E. STAHLIUM secuti sunt, e. g. Mich. ALBERTI, Joh. JUNCKERUS, &c.

E *Me-*

E *Mechanicis* tandem, cujus ſectæ maxima hodie eſt autoritas, Frid. HOFFMANNUM, Herm. BOERHAAVIUM, hujus ultimi commentatores, Alb. HALLERUM ac Gerh. a SWIETEN, itemque Laur. HEISTERUM, nunc adduxiſſe ſufficiat. *Singulos eosdem, reliquosque autores medicos, et quæ præterea ſpectant ad hiſtoriam literariam medicam, e recentioribus præ aliis uberrime tractant jam citatus Gotl. STOLLIUS in *der Anleitung zur hiſtorie der mediciniſchen gelahrtheit*, et Chriſt. Guil. KESTNERUS in *Bibliotheca medica*.

Mechanicæ medicinæ præ reliquis antecellentiam nupere demonſtratam dedit Laur. HEISTERUS in Diſſ. *de Medicinæ Mechanicæ præſtantia.* Reſp. Joh. Petr. *Sparward*. Helmſt. 1738. ut et Andr. Carol. GROSSE Tract. *qua ſiſtitur Verum univerſæ medicinæ principium in ſtructura corporis humani mechanica reperiundum.* Hal. 1732. 4.

§. 7.

Medicina fundamento innititur duplici, *experientia* et *ratione*. *Prior*, quæcunque de morborum circumſtantiis ac eventu, de medicamentorum viribus, reliquisque in medica arte cognitis, nunc innoteſcunt, reiteratis detegit exemplis: et quemadmodum ea ſola antiquiſſimam primamque medicinam conſtituebat; ipſique poſtmodum ſecta Empirica

pirica unice operam navabat, sic hodie adhuc non nisi hæc de novorum inventorum valore decidit. *Altera* deinde accessit: dum temporis progressu, et post collectas observationes sufficientes, procedere ulterius, ac in phænomenorum causas inquirere coeperint medici, in eumque finem dogmata varia cum medicina miscuerint. Ambæ conjungantur, necesse est: quoniam neque experientia sola, neque hypotheses unice, medicinam absolvunt.

* Experientiam esse duplicem, *alienam* atque *propriam*, aliunde constat. *Ultimam*, quæ aliorum asserta confirmat, quilibet medicus observationibus propriis sibi comparat; estque consultum, ipsi studere, quoniam varia adhuc indaganda restant, atque observationibus aliorum haud raro debita integritas deficit. Danda tamen simul est opera, ut experientia hæc, ad quam toties medici, seniores præsertim, licet frustra quandoque, provocant, rite et secundum leges sit comparata: nec forte contrarietur rationibus solidis, in hoc ultimo quippe casu dubia semper et manca restans. *Prior* ex aliorum inventis, librorumque lectione hauritur: nec sua destituitur utilitate magna, cum impossibile sit homini, ut unicus omnia ipse observet.

** *Empirica* secta olim, teste CELSO exinde, quod, relictis ratiociniis, totam in observando id, quod sensus detegebant, artem poneret, *Dogmaticis* sive *Rationalibus* medicis

dicis, in morborum causas ac medicamentorum vires inquirentibus, opponebatur: a quibus omnibus iterum secedebant *Methodici*. Hodie vocabulum, Empiricus, non tam denotat medicum, cujus scientia soli experientiæ est superstructa, sed potius agyrtam, id est, talem, qui sine prægressa instructione debita medicam artem exercet, experimenta per mortes hominum instituens, uti habet versiculus:

Fingunt se medicos, quivis idiota, &c.

De his ultimis Vid. Guil. Hulder. WALDSCHMIDT. Diss. *de Ignorantia et nequitia Empyricorum*. Resp. Jerem. *Müller*. Kil. 1692.

*** *Hypothesium* amor in medicina facile noxius fit, quando iis imbuta mens phænomenorum causas sine ratione sufficienti stabilire conatur, nec hypothesis veritatem e phænomenis dijudicat, sed contraria potius ratione procedit. Interim nec *syncretismus medicus* magni æstimatur: et teste experientia, medici hypothesin receptam omni conatu defendentes varia utilia in medium protulerunt; atque sic, accidentaliter, hypotheses arti medicæ non plane fuerunt inutiles.

**** Vid. Polycarp. Gottlieb. SCHACHER. Diss. *de recto rationis atque experientiæ usu in praxi clinico-forensi*. Resp. Christian. Sigism *Eysfahrt*. Lips. 1723. Joh. JUNCKER. Diss. *de nonnullis ad Syncretismum medicum facientibus*. Resp. Aug. Guil. *Becker*. Hal. 1737.

§. 8.

§. 8.

Cum experientia atque ratione suffulciatur medicina (7), tantum abest, ut incerta ac nude conjecturalis dici mereatur, quemadmodum medicorum adversarii sine fundamento objiciunt: ut potius arti huic tanta, quantam pro conditionis ratione habere, quantamque quilibet, æquitatis amans, jure meritoque postulare potest, hinc possibilis quælibet, ipsique competens, *certitudo* denegari nequeat. Atque id præ ceteris de medicina, qualem mechanici medici profitentur, quæque ad explicanda phænomena et structuræ partium et principiis mathematicis, ubicunque hæc ultima habent locum, innititur, valeat, necesse est, cum illis certiora non dari fundamenta, hodie credatur. Hæc autem de arte ipsa intelligenda sunt: quod enim attinet ad individua, artem exercentia, ea singula æqualem eruditionis, hinc et certitudinis in arte sua, imprimis exercenda, gradum non attingere, in hac disciplina, pariter ac in aliis quibuslibet, facile conceditur.

* De medicinæ certitudine diversa habentur scripta, aliis hanc, aliis contrariam propugnantibus opinionem. Varia eorundem collegit STOLLIVS *libr. cit.* Part. General. §. IV. E medicis, qui artem suam incertitudinis accusant, plurimi CELSUM consentientem adducunt, quia is, *quod medicina sit ars conjecturalis*, testatur, Vid. *Ej. de medicin. Libr. VIII.* Libr. I. Prœm. pag. m. 13. Verum enimvero ejusmodi effata, posita

sito, quod de vera quadam et intrinseca artis incertitudine sint intelligenda, hodie nihil probant: et quoad CELSUM in specie, præterquam quod ipsi vocabulum *conjecturalis* cum *incerto* non sit unum idemque, uti contextus probat, distinguendum erit inter medicinam, qualis fuit antiquitus, et qualis nunc est. Ea quoque argumenta, quæ de medicorum inter se invidia, altercatione, contemtu, aliisque vitiis, atque commissis ab iisdem in medendo erroribus, ad probandam artis incertitudinem mutuantur, hanc non probare, cum artem ipsam penitus non tangant, quilibet facillimo perspicit negotio.

** Prædicta ambo probandi medicam artem fundamenta atque modi, ratio scilicet experientiaque, certitudinem medicinæ non modo in genere patefaciunt, sed et hæc ipsa certitudo in disciplinis, quæ artem componunt, singulis in specie eodem duplici fulcro, aut saltem alterutro, stabilitur. *Anatomiæ* enim certitudinem ocularis inspectio probat. *Physiologia*, in quamplurimis punctis, mathematicas admittit demonstrationes: ac præterea experimentis innititur, toties reiteratis. *Diætæ* leges, nec non *Medicamentorum* vires, diuturna confirmavit experientia. *Morborum signa* vel in sensus incurrunt, vel per effectus, quos edunt, iidem dijudicantur, adeoque satis sunt certa: *causæ*, modo æger quasdam earum studio non celet, sufficienter detegi queunt: *prognosis*, si intra limites determinatos se contineat, suas habet notas, non facile deceptrices: uti hæc ultima e sequentibus

bus apparebunt. Alia interim est quæstio num *infallibilis* sit medicina? num singula eius capita, et singula phænomena medica, *mathematice demonstrari* queant? num adeo *perfecta* sit, et omnibus numeris absoluta, ut nil amplius addendum restet? num tantas medicamenta possideant vires, ut finis primarius, id ést, sanitas, *semper* acquiratur? Hæc talia namque nullus unquam artis defensor affimavit, aut affirmabit imposterum. Varii enim dantur morbi, per se et sua natura incurabiles; multa subinde ægroti, adstantium, imo et medentium, erroribus depravantur; quæ igitur accidentali cuidam incertitudini ansam præbent: medicamentorum quoque vires, si debite examinentur, sæpius debiles satis deprehenduntur; ac nonnullorum ex iisdem actiones sola expeperientia suffultæ, explicari nulla ratione possunt: quæ singula tamen certitudini medicinæ nil quicquam officiunt. Quod vero attinet speciatim ad demonstrationes mathematicas, quamvis ipsæ omnium certissimæ credantur, nec adeo raro in medicina adhibeantur, attamen eas nullatenus esse unicum comprobandæ rerum certitudinis medium, singulas potius artes suo gaudere argumentandi modo proprio, æque certo, ac in mathesi (licet modus iste ab eo, quo hæc ipsa utitur, differat) historiæ, easque probandi methodus evincit: adeoque et medicina, quamvis hinc inde rigidioribus demonstrationibus destituatur forte, æque parum est taxanda, ac mathesi vitio verti potest, quod non eadem, qua in historicis, ratione theses ipsius omnes probentur.

*** Vid.

*** Vid. Joh. Gothofr. BERGER, Diss. *de Certitudine medicinae*. Resp. Rudolph. Aug. *Held*, Witt. 1706. Georg. Gottlob. RICHTER, Diss. *de medicina, firmis certisque fundamentis innixa*. Resp. Georg. *Franck*. Kil. 1722. Joh. IUNCKER, Diss. *de Certitudine medicinae in genere*. Resp. Franc. Henr. *Heidsieck*. Hal. 1743.

§. 9.

Medicina, junctim sumpta, prouti hodie exercetur ejus praxis, e tribus componitur partibus, totidem artes separatas nostro ævo repræsentantibus. Altera ejus portio, quæ in remediorum præparatione est occupata, ad *Pharmacopolas* transiit. Alteram, quæ externorum potissimum morborum gerit curam, *Chirurgi* sibi vindicarunt. Ultima, internis morbis suppetias ferens, medicina strictius nuncupata, aut medica praxis, *medicis* proprie dictis residua permansit. Primis e contrario medicinæ temporibus omnia fuerunt combinata; adeoque, inter veteres non modo, uti nunc fit, formulas composuit medicus, a pharmacopœo conficiendas; sed ipse simul medicamenta præparavit, præparataque ægoto porrexit, ac præterea vulnera deligavit. Cum vero ægrorum multitudo medicis, tunc temporis parce obvenientibus, nimios crearet labores, hi amicis suis, imo et servis, auxiliatricem

porrigentibus manum, laborum quandam portionem relinquere coacti fuere, qui deinde, magistrum deserentes ** ipsi medicinam fecerunt, et quidem singuli eam in specie partem, quam didicerant. Atque hinc, medicis sub initium vel conniventibus, vel rem negligentibus, vel prohibendi facultate sufficienti destitutis, medicinæ enata est in plures artes divisio.

* Hæc sine dubio est causa, cur apud Romanos olim medicinæ conditio aut revera fuit servilis, aut fuisse creditur. Ceterum, propter damnum exinde, plus uno ex fundamento, in medicos redundans, varii autores de conjungendis denuo artibus dictis cogitarunt e. g. Andr. Ottomar. GOELICKE in Diss. *de Mutilo medicinæ corpore resarciendo, per Chirurgiam et Pharmaciam postliminio revocandas*, aliique: quamvis propositi executionem completam præsens rerum publicarum status reddat impossibilem. Interim hodierno medico adhucdum necessitas suadet, pharmaciæ pariter atque chirurgiæ notitiam, theoreticam ad minimum, habere, quo tam pharmacopœis, quam chirurgis, postulante id casu, imperare, eorumque operationes dirigere valeat: nec, harum scientiarum plane imperitus, spectatoris tantummodo vices gerat, atque sic, qui superior debebat esse, ipsis fiat inferior.

** Cum igitur nunc jam artem, a medicina strictius dicta separatam, atque ideo specialem, constituat chirurgia: Pathologia, quæ

quæ ad priorem refertur, proprie non explicat niſi morbos internos. Hinc quoque *in præſenti compendio*, licet varia eorundem, quæ proponuntur, facillimo negotio externis ſive chirurgicis morbis adpropriari etiam queant, imo et haud aliter in hiſce ſe habeant, *non niſi morbi pertractantur interni*, ii nimirum, qui aut partes corporis internas male habent, aut interne aſſumendis medicamentis, vel ſolis, vel tanquam præcipuis, oppugnantur: chirurgicorum vero morborum, quibus ſcilicet externa potiſſimum media medentur, explanatio autoribus, hanc artem in ſpecie tractantibus, relinquitur (3, **)

§. 10.

DIAETAE regulæ, in quantum huc ſpectat illa, ſequentibus fere præceptis abſolvuntur generalioribus: *Aër* ambiens temperatus ſit, et purus, neque calore aut frigore moleſtus, neque vaporibus putridis aut aliis noxiis inquinatus. *Alimentorum*, quotidie aſſumendorum, quantitas corpori, absque aggravatione nutriendo, proportionata eligatur: hinc tam eſculentorum, quam potulentorum, doſis detur ſufficiens, aſt inſimul copia non excedens; et mediocres, eæque reiteratæ, portiones rariori, eodemque tempore pleniori, nutritioni anteponantur. Ratione qualitatis illa ſingula bonæ ſint notæ, et vitio vacuæ. Quoad ſelectum

vero diuturniori consuetudini ac vitæ generi, laborioso imprimis, tuto aliquid conceditur: interim tenerioribus debilioribusque personis ea potissimum conveniunt, quæ cum minori concurrentis ventriculi labore in chylum laudabilem digeruntur. *Animi pathemata* vehementiora evitentur. *Somnus ac vigiliæ*, nec non *motus et quies*, duratione atque vicissitudine, mediocritatem, pro viribus corporis, temperamento, ætate diversa, observent singula. Sic quoque, quæ corpus *excernere*, *ac* quæ *retinere* debet, modum nunquam excedant. Quodsi tandem casus quidam obveniens strictam regularum dictarum observationem impediat, ut tantum earundem, quantum possibile, observetur; quicquid vero neglectum, aut aliter factum, quantocius in ordinem reducatur, necesse est.

* Ulteriorem dicti explanationem autores varii Diætetici suppeditant. Ceterum hocce medii genus nonnulli antiquissimorum medicorum tanti habuerunt, ut solo victu mederentur, *diætetici* propterea nominati, referente CELSO, *loc. cit.*

** Quæcunque de aëre puro allata sunt, de *vestimentis* quoque, *lecto*, *supellectili*, etc. intelligantur.

§. 11.

E MEDICAMENTIS, quibus ad exsequendum propositum medicina strictius dicta

dicta (9) utitur, *Roborantium*, quæ motum partium solidarum augere sunt apta, nomine veniunt *amara*, e. g. absinthium, centaurium minus, radix gentianæ, &c. *gummata*, e. g. benzoe, mastix, olibanum, succinum, &c. *balsama*, tam naturalia, quam arte facta, e. g. ambra, balsamum copaivæ, de mecca, peruvianum &c. *aromaticarum* plantarum partes, e. g. angelica, levisticum; radix acori, ostrutii; cortex citri, aurantii; lignum juniperi, sassafras; herba melissæ, menthæ, ruthæ, pulegii; folia dictamni cretici, lauri; flores liliorum convallium, salviæ, sambuci; semen anisi, anisi stellati, carvi, coriandri, cumini, foeniculi; baccæ lauri, &c. &c. vinum quodvis: *aromata*, e. g. cardamomum, cinamomum, cubebæ, galanga, macis, moschus, zedoariæ radix, zingiber, &c. præterea *acria mitiora*, e. g. radix ari, pimpinellæ, pyrethri; herba recens beccabungæ, cochleariæ, nasturtii; raphanus rusticanus recens, flores violarum recentes, semen sinapi, &c. tandemque *volatilia*, e. g. spirituosa fortiora cujuslibet generis; sal cornu cervi, succini, viperarum volatile; spiritus cornu cervi, salis ammoniaci, &c.

Relaxandi e contrario, sive motum fibrarum imminuendi, virtutem exercent *mucilaginosa*, e. g. lac animalium; sacharum; radix altheæ, poeoniæ, scorzoneræ; herba

malvæ, ſcabioſæ, tuſſilaginis, verbaſci; flores papaveris erratici; ſemen cydoniorum, foenugræci, pſylli; ſemina quatuor frigida dicta; avena, hordeum; amygdala dulcia, pineæ, caricæ, dactyli, jujubæ, ſebeſten, ſiliqua dulcis; gummi ſarcocollæ, tragacanthi; raſura cornu cervi, eboris; &c. *oleoſa*, e. g. axungiæ recentes, anſeris, canis; olea recens expreſſa, amygdalorum dulcium, olivarum, nucum; lactis cremor, butyrum, medulla oſſium, ſevum cervinum, hircinum; ſperma ceti: &c. atque *anodina*, flores chamomillæ, caſtoreum, crocus, ſemen papaveris album, opium Thebaicum, &c.

* Medicamenta quævis *non modo ſolida corporis aggredi, ſed et in fluida* agere ſimul: non vero æquali robore in utraque procedere, ſed primario ac *immediate vel ſolida tantum, vel fluida tantum* mutare: ea, *quæ ſolidas partes præcipue aggrediuntur*, propter communem intimamque partium corporis connexionem, *etiam agere mediate in fluidas*, et vice verſa: porro, *medicamenta tantum non omnia, præter virtutem principalem*, roborantem, relaxantem, &c. *aliam adhuc*, eamque acceſſoriam et minus principalem, ſive unicam talem, ſive plures, *obtinere*: nec non *medicamentis, duplici* aut multiplici *virtute inſtructis*, ſi ſcopo medentis non niſi unica earundem virium opus ſit, *aliud addendum eſse medicamen*, ſuperfluam prioris virtutem *deſtruens*; tandem, medicamenta non modo

modo in genere vel *mitius, vel fortius operari*, ſed etiam *ad eandem claſsem* relata, virtutis gradu maximopere a ſe invicem differre; imo et, quoniam mitius in quantitate majori, et contra ea fortius in doſi refracta, ratione vehementiæ agendi conveniunt, *alterum alteri*, urgentibus circumſtantiis, *ſubſtitui* poſſe: denique, *ſingula eo certius et* efficacius *vim ſuam manifeſtare, quo propius partem*, in quam agere debent, *attingunt*: reliquaque huc pertinentia, quorum hoc loco nulla fit mentio, e *Materia medica* atque *Doctrina de formulis componendis* cognita ſupponuntur. Ea namque, quæ hic prolata proſtant, eum tantummodo in finem e Materia medica, quorſum hæc omnia pertinent, adducta ſunt, ut, quæ ſequuntur, et breviſſimis dici, et ſufficienter intelligi queant. Cum etiam præſentis tractationis ſcopus primarius ſit medicina ſtrictius dicta (9): hinc *medicamenta jam commemorata, et in proxime ſequentibus adhuc adducenda quævis, eſse interna, ſponte ſequitur*: atque, quæ in ipſa tractatione *expreſſis verbis* commendantur externa, iis exceptis, quæ forte nominatim adducta ſimul proſtant, e chirurgicis autoribus eſſe haurienda; uti jam monitum eſt.

** E roborantibus prædictis, acria mitiora et volatilia, *fortius* ceteris agunt: unde et *irritantium* nomen gerunt. E relaxantibus quoque mucilaginoſa et oleoſa virtutem longe *mitiorem*, quam anodina, exſerunt. Roborandi etiam virtute gaudent *adſtringentia* (12), *acida* (13), *inciden-*

tia (14), et *attenuantia stricte dicta* (14). Relaxationem vero mitissimam inducunt *diluentia* (14).

*** Roborantia simul *calefaciendi* virtute gaudent: et ex iisdem amara, aromatica, aromata, acria mitiora cum volatilibus, nec non ex Anodinis flores chamomillæ, castoreum et crocus, præter primariam qualitatem, *attenuandi* quoque efficaciam edunt; gummata e contrario, balsama, et relaxantia quælibet reliqua, humores potius *incrassant:* mucilaginosa et *nutriunt* et *refrigerant.* Porro amara, oleosa, balsama, nonnullaque ex aromaticis, inter *anthelmintica*: quædam ex gummatibus, balsamis, aromaticis, mucilaginosis et oleosis, inter *becchica*: aromatica et volatilia, inter *sudorifera* atque *diuretica* locum habent.

§. 12.

Adstringentia, canales coarctando efficaciam suam monstrantia, sunt vegetabilia quævis, quæ degustata *saporem* linguæ imprimunt, *constringentem*, e. g. radix bistortæ, tormentillæ; lignum santalum rubrum; cortex chaquarillæ, peruvianus, granatorum; herba bellidis, prunellæ, millefolii, plantaginis; folia quercus; flores balaustriorum, malvæ arboreæ, rosarum rubrarum siccati; cydonia mala, gallæ turcicæ, myrtillorum baccæ, nuces cupressi; succus acaciæ, hypocistidis; gummi laccæ, sanguis dra-

draconis; vinum rubrum, etc. præterea ſuccus ſive terra catechu, terra lemnia, ſigillata, bolus armena; &c.; et, quæ omnium *fortiſſime* operantur, crocus martis adſtringens, alumen, ſacharum ſaturni, vitriolum, &c.

Aperientia, contrario prioribus modo, canales deobſtruentia, dicuntur metallica quædam, e. g. antimonium, argentum vivum, cinabaris, martis limatura: et exinde parata, antimonium diaphoreticum ſimplex et martiale, regulus antimonii medicinalis, cinabaris antimonii, mercurius dulcis, crocus martis aperitivus, antihecticum Poterii, bezoardicum minerale, joviale, etc.

Adſttingentia *roborandi*, ac ex iis mitiora, *calefaciendi* ſimul facultate pollent; exque iisdem, caſcarilla, cortex peruvianus, herba bellidis, millefolii, flores malvæ, vinumque rubrum, et crocus martis adſtringens, *attenuant* etiam; quod ultimum, vis nimirum *attenuandi*, eaque ſat inſignis, aperientibus quibuslibet; *diaphoretica* autem nonnullis eorum, ineſt: reliqua vero adſtringentia humores *incraſſant*. Ceterum adſtringendi quoque virtus leniſſima a *terreis* exſiccantibus (14), aperiendi ab *attenuantibus* (14) exercetur.

§. 13

Calefacientia, quæ fluidorum in corpore motum intendunt, *Cordialia* propterea dici

quoque ſolita, generatim quidem ſunt ipſa *roborantia* antea commemorata quælibet (11) imo et *adſtringentia mitiora* (12). Interim e prioribus præ reliquis huc pertinere creduntur, *aromatica* et *aromata* quælibet *gratiora*, eorumque olea deſtillata, aquæ deſtillatæ ſimplices et ſpirituoſæ, ac eſſentiæ, e. g. ambra, moſchus, cinamomum, grana et ſuccus chermes, flores borraginis, liliorum convallium, roſarum, etc. *vina* quoque generoſa quævis huc ſpectant.

Refrigerantem, adeoque contrariam, vim poſſident, et fluidorum motum minus velocem reddunt, tam *mucilaginoſa* ſingula (12) quam *diluentia* (14): aſt præprimis *acida*, fructus berberis, ribium; fraga, mora; ſuccus citri, acetoſellæ &c. ſpiritus minerales acidi, nitri ſcilicet, ſalis, ſulphuris, vitrioli, crudi pariter ac edulcorati, clyſſus antimonii; nitrum, &c.

* *Cordialem* quoque virtutem inſignem atque confortantem antiquiores adſcribebant auro et tincturis inde paratis, coralliis, margaritis, lapidi bezoar, granati, hyacinthi, rubini, ſaphiri, ſmaragdi, quos, ultimos ſub nomine generali *lapidum quinque pretioſorum* comprehendebant; oſſibus in cervi corde reperibilibus, &c. quæ omnia tamen hodie ad *terrea* ablegantur.

** Calefacientia *ſolidorum* quoque *motum intendere*, eo minus ſupereſt dubium, cum ipſa e roborantium numero deſumantur. Quoad virtutem ergo *attenuantem*, *incraſſantem*, *ſudoriferam*, repetenda hic etiam veniunt

unt, quæ supra de his roborantium virtutibus secundariis sunt asserta. E Refrigerantibus, acida simul *roborant, incrassant, urinam movent.*

§. 14.

Incrassantia, quorum virtus in eo consistit, ut, humorum consistentiam atque cohæsionem augendo, spissiores eosdem reddant, partim dici merentur, e Roborantibus, *gummata balsamaque*; e Relaxantibus, *mucilaginosa* (11); ac e Refrigerantibus, *acida* (13): partim vero eo nomine veniunt *terrea* medicamenta, *exsiccantia* etiam sive *absorbentia* dicta, pulveres scilicet calciformes, lapides, ac terræ quælibet, e. g. conchæ, cornu cervi ustum et sine igne præparatum, corallia, dentes hippopotami, ebur vel ustum vel sine igne præparatum, mandibuli lucii piscis pulverisati, margaritha, mater perlarum, oculi cancri, os sepiæ, tutia alexandrina, etc. (13, **).

Attenuant vero, id est, humores corporis fluidiores et minus cohærentes reddunt, e Roborantium classe, *amara*, *aromatica*, *aromata*, *acria mitiora* et *volatilia* (11): nec non *Aperientia* omnia (12): itemque ex *Anodinis* (11, ***) atque ex *Adstringentibus* nonnulla (12, schol.). Præterea huc pertinent *Diluentia* sive *Humectantia*, e. g. aqua simplex, aqua destillata florum acaciæ, cerasorum, fragorum, tiliæ florum, &c. decocta quælibet, in quantum eorum compositionem aqua intrat:

nec

nec non *Incidentia* dicta, salia nimirum alcalica et media quævis, sal ammoniacum, absinthii, cardui benedicti, tartari; arcanum duplicatum, nitrum antimoniatum, tartarus vitriolatus, terra foliata tartari; cineres genistæ, aliarumque plantarum; conchæ ustæ, lapides cancrorum citrati; sapo venetus, camphora, &c. tandemque *Attenuantia* strictius dicta, radix chinæ, sarsaparillæ; radix enulæ, liquiritiæ, ireos florentinæ; succus liquiritiæ, lignum sanctum; herba arnicæ, betonicæ, capillorum veneris, fumariæ, scordii, veronicæ, herba et flores bellidis; semen cardui mariæ, &c.

Terrea medicamenta lenissime quoque *adstringunt*, et inter *diaphoretica* locum habent. Attenuantia generatim *aperiendi* simul qualitatem exercent: ex iisque diluentia in gradu minori *relaxant*, et *refrigerant*. Incidentia, nec non attenuantia strictius dicta, *roborant*: ultima hæc *sudoriferis*, atque *diureticis*; nonnulla quoque e. g. radix enulæ, liquiritiæ, herba bellidis, capillorum veneris, &c. *becchicis* remediis annumerantur. Contra ea incrassantem virtutem atque exsiccantem adhuc possident *adstringentia*: attenuantem vero *aperientia*.

§. 15.

Ex *Evacuantibus*, *becchica* sive expectorandi virtute laudantur, radices altheæ, liquiritiæ, ireos, enulæ; herba bellidis, capillorum veneris, scabiosæ, tussilaginis, semen anisi, anisi stellati, foeniculi, caricæ, dactyli, jujubæ, sebesten, siliqua dulcis;

suc-

ſuccus liquiritiæ; gummi arabicum, benzoe; ſacharum; ſperma ceti; oleum amygdalorum dulcium: ſingula in antecedentibus inter aromatica, inter mucilaginoſa atque oleoſa partim, partim inter attenuantia jamjam enumerata.

Diaphoretica dicuntur pulveres terreorum (14), præſertim oculi cancrorum, et cornu cervi uſtum: atque ex aperientibus (12), antimonium diaphoreticum ſimplex et martiale, item bezoardicum minerale, joviale, &c. nec non ſudorifera quævis, in refracta doſi propinata. Hæc vero, id eſt *Sudorifera*, potiſſimum componuntur e decoctis attenuantium ſtrictius dictorum (14): itemque ex aromaticis gratioribus, atque volatilibus: præcipue vero rob ſambuci, aqua ſambuci deſtillata, infuſum herbæ theæ; decocta radicis chinæ, ſarſaparillæ, ligni ſancti, ligni ſaſſafras, calide haurienda; theriaca andromachi, ſal volatile cornu cervi, ſal volatile ſuccini, ſpiritus cornu cervi, ſpiritus theriacalis, tincturæ et ſpiritus bezoardici varii, eum in finem eliguntur.

Diureticam vim exercent eadem decocta attenuantia, reliquaque ſudorifera, cum regimine frigido in uſum ducta; atque ex aromaticis præcipue, radix et herba apii, petroſelini; folia pervincæ, ſabinæ; ſemen petroſelini, baccæ et rob juniperi; eorundem ſingulorum, et aromaticorum, aromatumque quorumlibet, olea deſtillata, ceu omnium

nium *fortissima*; porro, balsamum copaivæ, therebinthina veneta; incidentia quælibet (14); tandemque acida (13). Hæc ipsa, in specialibus quibusdam casibus, fiunt *Lithontriptica* et *Emmenagoga*.

Anthelmintica virtute gaudent amara præsertim, oleosa et mercurialia, aliaque nonnulla, e. g. aloes epatica, corallina; radix allii, graminis; herba filicis; semen cynæ, ruthæ, tanaceti; oleum amygdalorum dulcium, balsamum sulphuris, mercurius dulcis.

* Præmemoratorum evacuantium virtutes reliquæ, *roborans* videlicet, *attenuans*, *incrassans*, &c. ex antecedentibus patent. Bechicis sub certo respectu adhuc annumerari possunt *acria mitiora* (11).

** Reliqua ad evacuantium classem pertinentia medicamina non adducuntur, *sternutatoria* nimirum, *salivantia*, *vomitoria*, *purgantia*, &c. quoniam de illis autores consentiunt omnes, adeoque ea hic enumerandi ratio nulla superest. *Repellentium* quoque atque *evacuationes sistentium* medicamentorum nulla enarrantur, cum medicamenta, ejusmodi quid directe efficientia, adhucdum lateant.

§. 16.

Quæcunque de morbis dicenda veniunt, partim ad eosdem in genere pertinent: partim ad singulos, in medicina strictius dicta (3) obvenientes, spectant. Hinc Pathologia (2) in duas abit Partes principaliores, quarum altera, *generalis* cognominata, de morbis in genere loquitur; altera, sive *specialis*, quemlibet morbum in specie pertractat.

PARS I.



PARS I.

PATHOLOGIA GENERALIS

§. 17.

MORBVS, ſanitati e diametro oppoſitus, qui exſurgit, quamprimum ſtatus partium corporis naturalis ſive perfectus læditur (1), ipſam hanc partium conditionem a naturali recedentem, ſeu, quod idem eſt, ſtatum corporis læſum atque imperfectum denotat. Et pars Pathologiæ, talia complectens, quæ omnibus morbis generatim conveniunt, *Pathologia generalis* audit (16).

* Morborum definitiones quamplurimæ in autoribus proſtant, e quibus recentiorum nonnullas, adduxiſſe ſufficiat. E Galenicis (6) SCHELHAMMERVS *libr. cit.* Vol. II. Sect. I. Cap. I. §. XVII. „Morbus dicit „eſt corporis humani conſtitutio præ„ter naturam, lædens actiones primo„(alii addunt

addunt, *et immediate*) a partium, humorum „vel spirituum vitio aliquo proveniens.„

Inter Chemistas HELMONTIVS morborum internorum originem in Archeo ponit irritato. Sic enim in Tractatu, *Ignotus hospes morbus*, fatur: „Materia occasionalis, „sive intro allata, sive intus genita-sem- „per tantum occasionaliter concitat Arche- „um, ut inde expavescat, ac diversimode „excandescat. Morbus est ens reale, habens „causam materialem et efficientem, a causis „occasionalibus proritatas. - - Unde lucu- „lenter constare deberet, quod omnis mor- „bus primario et essentialiter respiciat sui „efficientem, Archeum - - Morbus fit pri- „mario ab impetum faciente Archeo, er- „rante tamen - In febri occasionalis mate- „ria efficiens juxta geminam sibi proprietà- „tem, concitat Archeum ad propulsionem, „in consumtionem sui. - - Hinc et sanari „morbos contendit, sive, uti loquitur, *loc. cit.* „demulceri bonitate naturæ, medica- „minum mansuetudine, pacationeque ac „resipiscentia Archei, turbati prius.„

E *Stahlianis*, circa morborum originem idem fere animæ rationali tribuentibus, quod Helmontius de Archeo suo predicaverat, Mich. ALBERTI asserit „quod pluri- „mi morbi sint ille status extraordinariæ „motuum vitalium administrationis, a na- „tura susceptæ, pro salvando corpore ne- „cessariæ„ vid. Ej. *Patholog. medic.* Proleg. §. XV. Atque JVNCKERO in *Conspect. Medic. Theoretico-Pract.* Tab. I. pag. I. „Morbus est „status præternaturalis corporis vivi, in par- „tibus tam fluidis quam solidis, utrarumque

„crasin

„crasin et mobilitatem lædens: concurrentibus variis symptomatibus, quæ vel a materiali noxa, vel a motibus principii vitalis conservatoriis, materiali noxæ oppositis, ultra gradum naturalem utplurimum auctis, rarius remissis, dependent. Quibus similia fere, ante hac jam affirmaverat Thom. SYDENHAM. morbum dicens „conamen naturæ, et quasi pugnam, „adversus materiam peccantem, vid. SCHELHAMMER. *loc. cit.* §. XX. Inter Mechanicos, Frid. HOFFMANN: postquam definiverat morbum „quod sit magna mutatio et turbatio proportionis et ordinis „motuum in solidis et fluidis, cum vel nimis accelerati vel retardati in universo „corpore aut in certis partibus sunt, juncta cum insigni læsione secretionum, excretionum et aliarum functionum corporis animati, tendens vel ad ejus salutem „aut interitum, vel ad pravam partium ad „alios morbos dispositionem„ statum morbosum „in læsione et depravatione actionum, quæ ad corpus et animum spectant, „consistere„ testatur. Vid. Ej. *Medic. System.* Tom. II. pag. 56. §. III. IV. Denique Herm. BOERHAVIUS in *Aphor. de cognoscendis et cur. morb.* §. I. hæc docet „Omnis humani „corporis conditio, quæ actiones vitales, „naturales, vel et animales, lædit, Morbus vocatur.„ C. G. LUDWIGII definitio morbi in Ej. *Institut. Patholog.* §. 917. Joh. Gottlob. KRÜGERI, in Ej. *Physic.* Part. III. Sect. I. §. 13. et reliquorum auctorum de morbis conceptus generales in ipsorum libris, legantur.

** Autores varios pathologiam generalem vel universim describentes, vel materias, in eadem pertractari solitas, singulas seorsim explicantes, collegerunt STOLLIVS *libr. cit. Part. Special.* Part. I. Cap. II. III. et Part. II. Cap. I. atque KESTNERVS *libr. cit.* Tom. II. Cap. III. IV. et VI.

§. 18.

Quum læsa corporis conditio, quæ morbum constituit (13), in minimo etiam gradu semper sit læsio dicenda; nec non, parte corporis minima læsa, corpus, totum consideratum, statim deflectat a statu naturali atque perfecto, sanitatem qui constituit (1); insimulque inter læsum esse et non læsum esse nullum detur tertium (per exp. et princ. log.) hinc, *quoties pars corporis, licet minima, recedit a statu naturali, seu, quod idem est, imperfectione, quamvis minima, laborat, statim morbus adest: nec conditio intermedia*, in qua neque integra sanitate fruitur homo, neque ægrotat, *concipi* potest.

* Sanitas supponit statum corporis, omniumque ejus partium, integrum sive naturalem (1). Paucissimi interim homines, experientia teste, corpus habent adeo perfectum, ut ne minimus quidem structuræ naturalis defectus in eodem reperiatur. Unde patet, ut, accurate loquendo, paucissimi homines revera sint sani; licet morbus adeo parvus, ut cum eo negotia sua homo

homo ſine ſenſibili impedimento perficere queat, in communi vita pro morbo non habeatur, nec contra eundem facile medici imploretur auxilium.

** Morbum minimum nondum pro morbo habet, adeoque ſtatum neutrum adhuc admittit, Frid. HOFFMANNUS *loc. cit.* §. V.

§. 19.

Morbi varias admittunt differentias. Præterquam enim, quod alter alterum vehementiæ ſuperet gradu, adeoque, ex hoc fundamento, morbi dentur *magni* ſive *vehementes*, ac *parvi* ſive *minus vehementes*: et quod aliquando *unicus* tantummodo morbus ægrotum vexet; quandoque plures, a ſe invicem penitus diſtincti, conveniant, tuncque *duplex* adſit, *triplex*, etc. morbus: *acutus* dicitur, quando brevi decurſu ægritudo, vel ſanitate, vel morte, terminatur; *chronicus* e contrario is qui diutius durat. Ultimus hic potiſſimum *intermittens* ſalutatur, ſi per paroxyſmos affligat, id eſt, ſi morbus aliquamdiu durans ceſſet, poſt aliquod autem temporis intervallum redeat; idque repetitis vicibus ſic agatur. Idem ſi certis fiat temporibus, *periodicum* nominant morbum; et contra ea *vagum* ſive *erraticum*, ſi nullum redeundi tempus certum obſervet, ſed inopinato recurrat: porro *habitualem*, ſi, propter ſæpius reiteratos inſul-

tus,

tus, tantas in corpore egerit radices, ut, levissima occasione data, redeat. Intermittenti morbo e diametro opponitur *continuus*, qui sine impetus cessatione, ab initio ad finem usque, perpetuo furit, nec semel abiens unquam revertitur; aliis etiam *continens* dictus. Ambos inter hosce medium locum tenet *remittens*: qui per intervalla remittit, sive mitior existit, sine tamen vera intermissione. *Benigni* porro nomine gaudet, absque majori vehementia ad salutem vergens: *malignus* autem dicitur, quicunque, graviori sua violentia, vel minatur vitæ periculum; vel mortem revera infert, adeoque *lethalis* evadit. *Endemius* certis populis ac regionibus est proprius. *Epidemici* plures eodem tempore homines: *Sporadici*, singulis temporibus, singulos infestant. *Contagiosus* effluviis subtilissimis ad eos, qui, vel videndi vel succurendi gratia, ægroto propius accedunt, transit: atque huc ex epidemicis et malignis plurimi pertinent. *Regularis*, aliis *typicus*, a more solito non aberrat: *Irregularis*, *non* typicus etiam nuncupatus, tramitem consuetum relinquens, inordinate progreditur. *Curabilis* medelam admittit: *insanabilis* contra; atque hic ultimus vel brevi abit in lethalem, vel diuturnæ atque continuæ valetudines, seu status valetudinarius, inde oboriuntur. *Hæreditarius* dicitur morbus, quem

paren-

parentes in liberos propagant: *connatum* homo a prima statim nativitate secum ducit: *adventitius* postmodum accedit. Verno speciatim tempore observantur *vernales* morbi, æstate *æstivi*: *autumnales* autumno veniunt, hyeme *hyemales*. *Infantile* corpus aliis affligitur ægritudinum generibus, aliis ætas *juvenilis*; viri, *viriles* experiuntur; *seniles*, senes. *Masculinus* quoque sexus, ac *foemineus*, suos habet quilibet morbos, ipsi in specie familiares: quandoque et *foetuum* valetudines occurrunt. Nonnulli morbi *eruditos* vexant, alii *milites*, alii *opifices*. Quidam *virginibus*, alii *gravidis*, *parturientibus*, *puerperis*, *lactantibus*, sunt proprii. Dantur etiam morbi *phlegmaticorum*, *sanguineorum*, *cholericorum*, *melancholicorum*. *Clinicus* tandem nominatur morbus quilibet, in toto ambitu suo consideratus, qualis in praxi medica, sive medicina strictius dicta (3) a medico clinico (4, sch.) tractatur.

* Quoniam inter morbos in specie acutos, pariter ac in reliquis omnibus observare licet, alter alterum diuturnitate superat: hinc antiquiorum quidam *acutum* a *peracuto* subdistinguunt, quorum ille hoc longius protrahitur: nonnulli adhuc iisdem addunt *per-peracutum* sive *extreme acutum*, id est, brevissimum. Quæ tamen sudivisio superflua videtur.

** De *hæreditariis* morbis, quorum rationem in certa quadam dispositione corpo-

ris ad morbos, parentibus jamjam infestos, autores quærunt (27, ***) monendum adhuc venit, quod, quamvis eorum existentia in genere negari nequeat; vulgo tamen iisdem varii annumerentur, quos experientia, rite instituta, ex eorundem classe exturbat, prouti singulorum consideratio specialis evincit: quodque a morbo, filium vexante, pariter ac patrem, forte idem vitæ genus viventem, male habuerat, ex ünico illo similis valetudinis adversæ præsentis fundamento ad hæreditarii actualem præsentiam conclusio non valeat. Vid. Frid. Christian. JUNCKER. Diss. *de Liberis ab hæreditate morbosa parentum legitime excludendis.* Resp. Henr. Paul *Oppermann.* Hal. 1753.

*** Vid. Abrah. VATER. Diss. *de morbis magnis, ex parvis initiis et levioribus caussis oriundis.* Resp. Joh. Christian. Frid. *Ruppio.* Witt. 1744. Joh. Godofr. MAGIRI Diss. *de Morbis complicatis.* Traj 1698. Georg. Ernest. STAHL. Diss. *de morbis acutis veterum.* Resp. Dan. Henning. *Bolten.* Hal. 1709. Andr. El. BüCHNER. Diss. *sistens methodum generaliorem morbos chronicos rite tractandi.* Resp. Paul *Paulsohn* Hal. 1747. Georg Ernest. STAHL. Diss. *de affectibus Periodicis.* Resp. Christian. Sigism. *Richter.* Hal. 1702. *Ej.* Diss. *de morbis habitualibus.* Resp. Andr. *Rhetio.* Hal. 1698. Henr. Reinhold WEGER. Diss. *de nonnullorum hominum Ephemeridibus.* Regiom. 1721. Frid. HOFFMANN. Diss. *de Conversione morbi benigni in malignum.* Resp. Christian. *Zweigel.* Hal. 1701. A. Qu. RIVINI. Diss. *de morbis Endemiis* Vid. *Ej. Diss. Med.* Diss. XXXVI. G. E. STAHL. Diss. *de morbis corruptis.* *Resp.*

Resp. Joh. *Emmerich.* Hal. 1702. *Ei.* Diss. *de Incurabilibus affectibus.* Resp. Christian. *Meisner.* Hal. 1705. Andr El. BÜCHNER. Diss. *de Medicorum scandalo, sive de morbis curatu difficilibus et insanabilibus.* Resp. *Phil.* Isaac *Heineken.* Hal. 1748. Henr. Christoph. ALBERTI. Diss. *de morbis hæreditariis.* Resp. Dan. *Wank.* Erf. 1701. Joh. Frid. de PRE. Diss. *de morbis Archealibus sive hæreditariis.* Erf. 1702. Frid. HOFFMANN. Diss. *de morbis incongruis,* Resp. Christian *Röper.* Hal 1702. Anton. CASAMAJOR. Quæst. Med. *An a temporum varietate varii morbi?* Resp. Franc. *Bernard* Aff. Paris. 1743. Günth. Christoph. SCHELHAMMER. Diss. *de morbis ætatum.* Resp. Joh. Ernest. *Waltsgott.* Jen. 1694. Laur. HEISTER. Diss. *de Morbis adolescentum et juvenum Hipp.* Resp. Frid. Henr. *Schramm.* Helmst. 1722. Steph. CLOSII Diss. *de Juvenum dispositione ad morbos pulmonum.* Hal. 1740. Georg. Ernest. STAHL. Diss. *de senum affectibus.* Resp. Joh. Conrad. *Michaelis,* Hal. 1710. Andr. Ottomar. GOELICKE Diss. *de frequentia ægrotandi in sexu sequiore præ virili.* Resp. Joh. Adam *Jericho* Hal. 1713. Gabriel. Anton. JACQUES Quæst. Med. *An mulieres pluribus obnoxiæ morbis, quam viri?* Resp. Joh. *Le Thieullier.* Aff. Paris 1743. Ern. Henr. WEDEL. Commentat. *de Morbis Concionatorum.* Jen. 1742. Mich. ALBERTI Diss. *de Præservatione morborum militarium.* Resp. Dan. *Dreisov.* Hal. 1745. Andr. El. BÜCHNER. Diss. *de morbis pharmacopœorum et Chymicorum.* Resp. Sam. *Prieur.* Hal. 1751. G. E. STAHL. Diss. *de affectibus gravidarum.* Respond. David. DITTMANN. Hal. 1708. Carol. Frid.

KALTSCHMIED. Diſſ. *de Puerperarum morbis*, Reſp. Joh. Gottlieb *Iſaac*. Jen. 1750. &c.

§. 20.

Maximi quoque momenti, eſt diſtinctio morbi in *ſimplicem* atque *compoſitum*. *Prior* denotat ejusmodi corporis conditionem, ubi ſtatus naturalis ſive perfectus non niſi in unica parte ſpecialiori, aut ſpecialiſſima, et unica tantummodo ratione, deficit. Quodſi vero pars unica plus una ratione afficiatur, aut e partibus corporis plures ſimul ægrotent, morbus exſurgit *compoſitus*.

* Ut prædicta exemplo quodam clariora fiant, conſideretur e. g. manus. Hæc, ceu pars generalior aut primi ordinis, docente illud anatomia, componitur e brachio ſuperiori, brachio anteriori et manu extrema, iterum habente carpum, metacarpum et digitos, tanquam totidem partes ſpeciales aut ſecundi generis, quæ ulterius conſtant e ſpecialioribus et tertii ordinis partibus, tegumentis ſcilicet, muſculis, ligamentis, vaſis, tendinibus, membranis, cartilaginibus, oſſibus. Jam vero, ſi in digito, e. g. ſola tegumenta, laxitate laborent nimia, tunc non niſi unica pars, nec eadem niſi unica ratione, ægrotat, adeoque morbus adeſt *ſimplex*, nimia namque tegumentorum in digito laxitas. Quodſi autem vel in eodem digito tegumenta non modo ſint juſto laxiora, ſed et præterea craſſiora, quam par eſt, aut colore minus conſueto infecta, etc. vel, præter tegumenta, etiam musculi, liga-

ligamenta &c. quocunque modo aliter constituta, quam ordo naturalis postulat: tunc vel unica pars corporis specialior plus simplici ratione læditur, vel ex iisdem partibus plures simul ægrotant; adeoque morbus infestat *compositus*. Quæ omnia non modo ulterius extendi ad partes specialissimas, diversi nempe generis fibras, sed et de aliis partibus specialibus atque generalibus, adeoque de manu extrema generatim sumta, imo et de toto corpore, mutatis mutandis, prædicari possunt. Unde simul colligitur facile, 1) quomodo differat morbus simplex atque compositus, ab *unico*, *duplici*, *triplici*, *multiplici*, in mox antecedentibus commemoratis, 2) morbum antea dictum, unicum, duplicem, triplicem etc. ad *compositos* morbos esse referendos.

** Qvamvis denominatio morbi simplicis non nisi in recentioribus reperiatur libris, e. g. in BOERHAVII *Aphor. de cognosc. et cur. morb.* §. 18. *sqq.* nihilosecius rem ipsam antiquioribus non penitus fuisse ignotam, testantur non modo generales morborum divisiones eorundem; qui scilicet, ubi de morbis intemperiei ac conformationis loquuntur, aperte describunt morbos simplices, vid. Fe. l. Joh. JONSTONI *Idea universæ medicinæ pract.* Libr. I. Tit. II. III. pag. 6 sqq. SCHELHAMMERUS *libr. cit.* Vol. II. Sect. I. Cap. II. §. VIII. IX. sed etiam doctrina nonnullorum de compositione morbi clinici e variis symptomatibus, singulis pro morbo speciali assumendis atque tractandis, (quale quid e. g.

præter GALENUM in libr. de different. morbor. et Sympt. itemq. in libr. de Meth. medend.

in JONSTONO *loc. cit.* Tit. III. Cap. III. Artic. I. *de Tumoribus* legitur; nimirum „Accedunt ad *magnitudinis augmentum* (in tumore) „interdum *Intemperies*, ſi materia *in* „*qualitatibus* excedit - *Unitatis ſolutio*, ſi continuum ſolvatur. *Conformationis vitia*, ſi „vel *figura* corrumpatur, vel *cavitates* comprimantur, aut *obſtruantur*„ Vid. adhuc *ibid.* Cap. *de Vulneribus*, de *fracturis*, de *febribus in gen.* etc.) optimo jure huc referenda venit, quippe morbum clinicum repræſentare compoſitum morbum, e variis conflatum morbis ſimplicibus, haud obſcure delineans. Morborum quoque ſimplicium variorum meminit J. H. SCHVLZ. Diſſ. *de Cutis exterioris morbis.* §. CXVI. ſq. (86, **).

§. 21.

Quilibet morbus ſanabilis ſuum habet initium atque finem: nec durante tempore, inter hæc ambo puncta extrema intermedio, æquali ſemper vehementia progreditur; ſed, experientia comprobante, primo accreſcit, et deinde, poſt ſuperatum punctum ſummum, decreſcit iterum. Hinc quatuor diſtingui poſſunt *morbi tempora*, ſingula diuturnitate et vehementia non modo diverſa admodum, ſed et, quoad dictas variationes, in gradus quam plurimos dividenda: quorum *primum*, ejus naſcendi momentum ſub ſe comprehendit; *alterum* illius incrementum; *tertium*, ejusdem ſtatum ſive tempus illud, ubi ſummum occupat acumen; et *quartum* denique, iſtius decrementum cum fine.

fine. Atque hæc non modo in acutis diſcernuntur morbis, sed et in intermittentibus, nec non chronicis quibusvis: interim omnium maxime diſtincte in acutis; non adeo manifeſte in chronicis; in intermittentibus vero quatuor tempora prædicta, et in ſingulis obſervantur paroxysmis, et in toto morbo generatim ſumpto.

* Quoad morbos acutos nullus adeſt in hac doctrina autorum diſſenſus. Chronicis autem nonnulli temporum ejusmodi differentiam denegant; in quibus tamen ſingulis non minus, quam in acutis, et initium et progreſſum et finem, præter experientiam rite inſtitutam, ipſa ratio comprobat.

** Doctrinam de morborum temporibus GALENUS jam jam explicavit abunde in Tract. *de criſibus* Lib. I. Cap. 2. ubi aperte loquitur, „Sunt omnia morbi tem„pora quatuor numero, principium, incre„mentum, ſtatus, declinatio,

§. 22.

Quemadmodum corporis ſani partes ſingulæ, principiis phyſiologicis docentibus, certas edunt actiones, quæ, tanquam effectus, a ſtatu eorundem perfecto ſive naturali proficiscuntur (1). Sic conditionis hujus perfectæ deſtructionem in ſingulis non poſſunt non, pro diverſo deſtructionis gradu

ac

ac modo, ſequi iſtarum actionum ſive effectuum vel læſio, vel ceſſatio, vel plane alii, et prioribus contrarii, actus ſuccedere. Unde patet, quod *morbus quilibet ſuos edat effectus* proprios: et quidem *ſimplex morbus*, *ſimplicem*; *compoſitus* vero, pro diverſa ſui natura, *vel unicum effectum*, *fortiorem* tamen, quam qui a morbo ſimplici oritur, *vel plures effectus*. Sunt quoque effectus iſti, probante experientia, ſinguli ita comparati, ut partim magnitudini morbi ſemper reſpondeant: partim alii præ aliis cognitu ſint faciliores: partim ex iisdem nonnulli ſtatim cum ipſo morbo ſeſe manifeſtent, adeoque mox ab initio adſint, ceu *conſequentiæ proximiores*; alii vero non niſi in fine morbi appareant, et *conſequentias* conſtituant *remotiores*.

§. 23.

Conſequentiæ proximiores (22) morbi præſentiam atque genus determinant, adeoque ejus *Signa* conſtituunt dignoſtica. Cum vero, teſte experientia, earundem aliæ ſenſibus percipiantur externis, adeoque primo intuitu pateant; aliæ, minus manifeſtæ, ulteriori disquiſitione indigeant. Hinc quoque ipſa ſtatus perfecti in parte corporis deſtructio, ſive morbus, quandoque oculis, ceterisque ſenſibus externis, cernitur, interdum ſecus. In priori caſu morbus ſine ulteriori indaga-

tione

tione facile patescit. In posteriori, effectibus reliquis tantummodo dignoscitur: iis nimirum, qui mox ab initio morbum concomitantur (22); atque id eo facilius, quo distinctius effectus illi patent. Doctrina hæc de signis morborum diagnosticis, si a reliqua Pathologia separetur, SEMEIOTICA audit.

* Singulorum morborum tractatio, prouti e sequentibus apparebit, quatuor absolvitur momentis, 1) signorum adductione, 2) causæ determinatione, 3) prognosi, 4) medela. Idem in pathologia generali fit; cum ea tamen differentia, ut in hac e quatuor istis momentis haud raro totidem capita singularia forment autores; cum e contrario omnia semper sint in eodem capite combinata, quando de morbo speciali sermo est.

** Vid. Andr. El. BÜCHNER. Diss. *de Olfactus ad capienda signa usu*. Resp. Fridr. *Langer*. Hal. 1752.

§. 24.

Cum igitur Signum morbi, præter inspectionem ocularem, una cum reliquorum sensuum concursu, quandoque, saltem in morbis partium externarum, solam sufficientem, cujuslibet partis corporis actio vel læsa, vel penitus abolita, vel inconsueta det; e principiorum physiologicorum ad casus speciales applicatione sese manifestans (22. 23): propter partium corporis, et, quas

edunt

edunt illæ, actionum diverſitates, impoſſibile erit, univerſalia morborum ſigna, omnibus ſcilicet competentia, determinare. Interim ſigna ejusmodi generalia, aut ſaltem plurimis morbis communia, in *ſanguine* quærunt nonnulli autores, alii in *ſudore*, aut in *ſaliva*, in *excretione alvina*; nonnulli e *vultu ægri*, ex *habitu* atque conditione *linguæ* externa, ex *unguium ſtatu*, e *reſpiratione*, etc. determinare allaborant. Maxime tamen *pulſus*, nec non *urinæ*, tanquam præcipuorum e ſignis univerſalibus, a quibusdam commendatur inquiſitio. Quæ omnia ſuum in morbis ſingularibus omnino habent uſum, quando nimirum morbus adeo eſt comparatus, ut effectum habeat in ſecretionem ſudoris, ſalivæ, etc. falluntur tamen, et fallunt alios, quicunque ſigna exinde generalia formant, e partis unius ſpecialis in corpore mutatione aut non mutatione, ad ſimilem reliquarum partium, vel omnium, vel plurimarum concludentes; et cum id ipſum, de ſingulis antea notatis, excepto pulſu atque urina, ſponte pateat, horum ultimorum ulteriorem tantummodo inſtituere disquiſitionem lubet.

* Morbos alios præ aliis facilius dignoſci, experientia docet (23). Cur autem in STOLLII *libr. cit.* Part. I. Cap. III. §. I. not. c. et §. II. hæc doctrina, Semiotica nimirum, imperfectionis atque incertitudinis tantæ arguatur, quantam hic ipſe autor, alio-

aliorum testimoniis suffultus, adducit, fundamentum non facile patet. Quicunque enim, ex Anatomia, corporis partes; ac, e Physiologia, singularum actiones et usus, sufficienter cognoscit: cur non ex iisdem actionibus, vel imperfectis, vel cessantibus, vel inconsuetis, morbum, sensibus externis sese subducentem, dijudicare atque dignoscere tandem poterit; si unum alterumve maxime absconditum, vix merentem, qui hoc loco adducatur, excipias? Forte de morbi sede accurata, in hac vel illa parte specialiori aut specialissima, aliisque ejusmodi minutiis, ad sanandum eundem nil facientibus, aliquando dubium exsurgit: quæ tamen ipsius diagnosin, huiusque certitudinem, non feriunt. Sic e. g. inflammatio quædam interna in hepate aut ejus vicinia præsens, e signis suis sive effectibus primis certissime patet, num vero eadem hepatem potius vexet in portione crassiori, quæ dextra est, an in tenuiori, sive sinistrorsum protensa? num hepaticæ arteriæ sint morbi sedes primaria, an potius venæ portæ rami arteriosi; hepar ipsum, an potius vesicula fellis, aut omenti, aut mesenterii proxima portio? quousque accurate in qualibet e prædictis partibus diffundatur? hæc talia sive accuratissime dignoscantur, an non, neque morbi cognitionem, neque medelam ullo modo turbant. Idem de causa morbi dicendum: scilicet, eam quoque, posito, quod non semper accurate pateat, diagnosin tamen morbi non reddere incertam.

** Prædicta morborum signa universalia, de quibus legantur e. g. SCHELHAMMERVS

MERUS Vol. II. Part. II. Sect. II. Cap. VIII. IX. et M. ALBERTI *Semiolog.* Sect. III. IV. ſeqq. exinde ortum traxiſſe videntur, quod practici autores, et conſequenter medici etiam clinici, ſingulis ſæpius morbis ſeriem quandam phænomenorum, ſive, uti loquuntur, ſymptomatum (40) adſcribant, tanquam eſſentialem: adeoque, obſervato phænomeno uno, reliqua etiam adeſſe concludant, et vice verſa: quum tamen eadem, comprobante experientia rite formata, in plurimis caſibus accidentaliter tantummodo appareant: nec raro ſint vel morbi ſimplices, vel horum effectus, qui, præter hosce morbos, quorum effectus conſtituunt, adeſſe adhuc alios morbos ſimplices, non teſtantur; nec abſolute probant præſentiam morbi compoſiti, ad quem componendum morbus ille ſimplex convenit interdum, e. g. Sudor nimius in febribus occurrit ordinarie, et deficiens in hydrope; interim a ſolo ſudore nimio ad febrim, et a ſolo deficiente eodem ad hydropem, non valet conſequentia, quoniam et in aliis caſibus aut morbis ſudor, vel nimius vel deficiens, locum habet. Et poſito, quod nonnulli dentur morbi, in quibus ſanguis, ſudor, ſaliva, etc. a ſtatu naturali recedunt, attamen ne ſic quidem ſigna prædicta erunt univerſalia, et ex hoc fundamento in pathologia generali pertractanda; cum ad hanc doctrinam non ſpectent, niſi quæ omnibus morbis (idque proprie) aut ſaltem, quæ quamplurimis competunt nec revera dictorum humorum, etc. conditio morboſa ubivis adeo ſit frequens, ac quidem aſſertur. Hinc quoque autores pathologici generales Semioticam

ticam, pariter atque reliquas Pathologiæ generalis sectiones, mirum sæpius in modum distendentes, descriptione morborum specialium repleti potius reperiuntur.

*** Ad dignoscendum morbum etiam facere interdum juvantia et nocentia, sanandi fine adhibita, veteres volunt.

**** Huc pertinent Andr. El. BÜCHNER. Diss. *de Insomniis, ut signo in medicina.* Resp. Henr. Wilh. *Heisterbergk.* Hal. 1749. *Ej.* Diss. *de Oculo, ut signo.* Resp. Christ. Frid. Ephr. *Oswald-* Hal. 1752. *Ej.* Diss. *de Ore, ut signo.* Resp. Joh. Conr. Phil. *Zimmermann,* Hal. 1752. Ej. Diss. *de Temperamentorum ratione in Semiologicis habenda.* Respond Carol. Gottlob *Gæbel.* Hal. 1752. *Ej.* Diss. *de Morborum signis, quæ a naribus desumuntur.* Resp. Christ. Gottl. *Roll.* Hal. 1754. *Ej.* Diss. *de Indiciis aurium in morbis.* Resp. Joh. Gottl. *Dennewitz.* Hal. 1754.

§. 25.

Pulsus nomine insignitur motus arteriæ reciprocus, dilatatorius atque constrictorius, a sanguine per eandem circulante, arteriamque distendente, et vi arteriæ elastica, originem ducens, prouti physiologia explicat. Iam vero sanguis vel in majori aut minori copia arteriam implet: vel celerius aut tardius, adeoque majori aut minori cum vehementia, per eandem vehitur: vel tandem plus minusve æqualiter incedit. Arte-

D ria

ria ergo, cujus motus cum ſanguinis motu alit proportionem, pro hujus diverſitate prædicta, vel altius attollitur aut non, vel ſyſtolen atque diaſtolen celeriorem aut tardiorem monſtrat, vel denique æqualiter aut inæqualiter movetur. Prior circumſtantia pulſum producit aut *plenum*, qui et *magnus* aut *fortis* dicitur, aut *parvum* ſive *debilem*; altera pulſum facit aut *celerem* ſive *frequentem*, aut *rarum*; ultima denique pulſum reddit aut *æqualem* aut *inæqualem*: et, ſi ex iisdem circumſtantiis plures conveniant, pulſus oritur *plenus et celer ſimul*, *fortis et* eodem tempore *æqualis*, e *celeri et inæquali* compoſitus, etc. Pulſus ergo de quantitate ſanguinis majori vel minori, de circuli ejusdem vivacitate et æqualitate, inſimulque de arteriarum robore, quouſque ſingula aſcendant, teſtatur: plura autem patefacere ſolus nequit.

* Antiquiſſimorum medicorum nemo doctrinam de pulſu adeo ample tractat, quam GALENVS, qui imprimis *Libr. de Pulſuum different.* Libr. I. Cap. 5. viginti ſeptem pulſuum ſpecies recenſet, præter reliqua, in ceteris libri dicti capitibus, aliisque tractatibus, deſcripta genera: attamen labore, ipſa ſua ſubtilitate, obſcuro atque inutili. Recentiores quoque medici, eodem potiſſimum Galeno præeunte, adhucdum de pulſu *duro* et *molli*, de *intermittente*, de *convulſivo* etc, loquuntur, cujus ulti-

mi

mi etiam meminit Fr. HOFFMANN. in *Med. System.* Tom. I. Libr. I. Sect. I. Cap. VI. §. XXV. Schol. ac præterea inter *celerem* pulſum ac *frequentem* diſtinguunt. Verum enim vero pulſus *durus* a forti, *mollis* a debili vel non differt, vel potius conditionem partium illarum ſtrictiorem aut laxiorem denotat, quæ arteriæ, quam ad explorandum pulſum medici tangere conſueverunt, maxime ſunt vicinæ: quod idem etiam de *convulſivo* valet, in moribundis obveniente; convulſivi namque motus iſti non occupant arteriam pulſantem, fibris quippe muſcularibus deſtitutam, (140) ſed partes proxime adjacentes potius, muſculos nimirum ac tendines: *intermittentem* denique pulſum pertinere ad inæqualem, et *celerem* non alium eſſe quam *frequentem*, facile perſpicitur. *Crepitantis* tandem pulſus mentionem injicit Burc. Dav. MAUCHART. Vid. Ej Diſſ. *de Pulſu intermittente et de Crepitante* Reſp. Joh. Rudolph. *Camerer.* Tubing. 1748.

Ceterum iisdem, quibus ſupra factum, limitibus arctiſſimis includit doctrinam de pulſibus, Joh. Godofr. BERGER. in *Phyſiolog. medic.* Lib. I. Cap. V. pag. 73.

Vid. præterea SCHELHAMMER. Vol. II. Appendic. *de Pulſu*; M. ALBERTI *Semiolog.* Sect. I. Joh. Erneſt. HEBENSTREIT. Diſſ. *de Pulſu Inæquali.* Reſp. Joh. Andr. UNGEBAUER Lipſ. 1741.

** Locus, quem pro explorando pulſu medici ordinarie eligunt, ea eſt brachii anterioris extremitas, ubi ad carpum arteria radialis properat, idque propter arteriæ in hoc loco ſitum commodum. In-

terim, cum nusquam in corpore deficiant arteriæ: in qualibet alia corporis parte pulſus, urgente neceſſitate, examinari poteſt, modo arteria tangenda aliquali capacitate gaudeat, et cuti adeo ſit vicina, ut, digitis impoſitis, motus ipſius percipi queat. Cumque animi pathemata fortiora in circulatione ſanguinis, adeoque in pulſu, experientia teſte, mutationem quandam, ad tempus ſaltem, producant; neque id in ægrotis quoque, e medici adventu gaudium capientibus, adeo fiat raro: non contemnendum CELSUS dedit medico clinico conſilium, Libr. III. Cap. VI. p.m. 129. „Periti„ dicens „medici eſt, non ſtatim, ac venit, ap„prehendere manu brachium; ſed primum „reſidere, hilari vultu, percunctarique, „quemadmodum ſe habeat, et ſi quis ejus „metus eſt, eum probali ſermone lenire, „tunc deinde ejus carpo manum admovere.

*** Nonnulli autores Chinenſium medicorum, in hac arte, ſpecialem eruditionem mirum quantum deprædicant, ac ſi ſola pulſus exploratione quoslibet dignoſcere morbos valeant. Ejusmodi autem encomia eſſe vana, e præcedentibus elucet: poſito etiam, quod, quæ de ejusmodi conamine argumenta adſunt hiſtorica, genuina dici mereantur (29, **). Vid. ſuper hac materia Joh. Georg. GMELIN. Diſſ. *de Tactu pulſus, certo in morbis criterio.* Reſp. Joh. Melch. *Streiff.* Tub. 1753.

§. 26.

Urina, humor corporis excrementitius, ad

ad putredinem pronus; et, quoad originem, portio ipſius ſeri ſanguinis: in renibus a reliquo ſanguine ſecedens, et exinde per ureteres ad veſicam, ac porro per urethram e corpore profluens: ex aqua potiſſimum, tum et e particulis terreſtribus, oleoſis, variiſque ſalibus, compoſita; præter humorem, inſenſibili transpiratione avolantem, reliquas ſecretiones ſingulas quantitate ſuperans: durante tranſitu per vias antea commemoratas, fluido ibidem, e glandulis membranisque prodeunte, aut alia occaſione generato, miscetur: colore gaudet, pro majori aut minori copia admixti principii aquoſi, vel dilutiori, flaveſcente, imo et, inſtar aquæ puræ, limpido; vel intenſiori, flavo, rubeſcente, brunno (exceptis paucis morbis ſpecialibus, colorem iſtum alterantibus): e corpore emiſſa, aut citius paulo aut tardius, in putredinem vergit; tuncque variæ, compoſitionem ejus intrantes, particulæ ſingulæ inter ſe congregantur, ex iisque graviores fundum vaſis, in quo aſſervatur urina, petunt, leviores autem in media ac ſumma parte, aliquando nubeculæ inſtar, aquæ innatant, Urina igitur potisſimum *copia* ſua, ac *colore* vel dilutiori vel intenſiori, majorem aut minorem aquæ portionis, ſanguini, imo et ipſi urinæ, admixtæ, pariterque ſalium et terreſtrium particularum, debitam aut inconſuetam

tam quantitatem indicat: ac tandem, an in viis transeundis peregrini quid, quod ipsi jungitur, e. g. mucus tenacior, sanguis, pus, lapilli, etc. haereat, detegit: quandoque etiam alimentorum nonnullorum, aut medicaminum, fragrantiorum odorem in se suscipit. Cumque statim, ac prodit e corpore, mutationem quandam ab aëre externo accedente subeat, quae eo major est, quo longius est intervallum a tempore emissionis, prouti, praeter experientiam, natura ipsius ad fermentationem ac putredinem prona declarat, simul sequitur: ut ab eadem, e corpore emissa, ad conditionem seri, adeoque et sanguinis, in corpore residui, non nisi maxima cum limitatione concludi possit. Ex quibus omnibus clare patet, eandem ad morbos generatim dignoscendos solam non facere.

* Varios autorum, praeter nudam inspectionem, urinam explorandi modos, e quibus nonnulli chymice, alii statice eandem indagarunt, imo et alii magicam artem in auxilium vocarunt: nec non autores de ista, ceu signo morborum, speciatim agentes, collegerunt STOLLIUS atque KESTNERUS, *loc. cit.* Vid. etiam, hanc materiam uberrime tractantem, M. ALBERTI *Semiolog.* Sect. II.

** Arti, ex urina morbos cognoscendi, *Uroscopia* dictae, quam veteres medici, prae-

præſertim Arabes, magni æſtimarunt; adeo ut GALENVS „eidem ſoli in febribus „eſſe credendum„ aſſerat, *in Libr. VI. Hipp. de morb. vulg. Comment. I. no 10.* cuique recentiores haud pauci adhuc multum tribuunt: opponitur *Uromantia*, ſive ars, ex urinis, præter morbos, varia alia, et præterita et futura, divinandi. Hæc ultima interim hodie vix a medico quodam, ſed ab agyrtis ſolummodo', exercetur: ejusque vanitas, abunde a medicis detecta, vel exinde patet, quod Uroſcopia jam jam, quæ tamen Uromantiæ et multum eſt praeſtantior, nec omni penitus uſu in nonnullis morbis ſpecialibus caret, a permultis in abuſum trahatur, vel ſine neceſſitate illius inſpectionem quotidianam inſtituentibus, vel plura, quam exinde cognitu eſt poſſibile, integros interdum morbos compoſitos, graviditatem, et mille alia, quæ nullo modo per eandem patent, ex urina hariolari non verentibus.

*** E prædictis quoque elucet, quam firmo innitatur fundamento ſententia illorum, qui, urina poſt emiſſionem diutius reſtitante pellucida in morbis, e. g. in febribus, cum vel ſine nubecula in medio apparente, materiam adhuc eſſe *crudam*, et morbum naturæ ſuperiorem volunt; propterea que morbi praeſagiunt durationem: ſolutionem vero proxime inſtantem, et pugnam naturae jam eluctantis contra morbum aſſerunt, quando urina, rutilans emiſſa, brevi *conturbatur*, licet nullum adhuc ſedimentum deponat: tandemque, ſi roſeum aut lateritium *ſedimentum* petat fun-

 dum,

dum, urina ſuperiori clara ac pellucida evadente, materiae morbificae coctionem rite procedere aſſerunt, et morbum brevi fore proſtratum: ſi denique, circa diem criticum (31) urina denuo *mutetur* in ſaturatam crudamque, in periculo verſari aegrum contendunt; et quae ſunt hujus generis alia. Experientia namque toties contrarium docet.

§. 27.

Cum nihil ſponte oriatur, ut ſtatus corporis partiumque, qui naturaliter eſt perfectus atque ſanus, mutetur in imperfectum ſive morboſum, cauſa quædam efficiens præceſſerit, eſt neceſſe: *morbus* ergo *quilibet ſuam habet CAUSAM.* Porro, cum ſanitas a variis, ac ſibi haud raro contrariis, rebus lædi poſſit: hinc *cauſarum, morbos producentium, datur etiam diverſitas*, Earumque alia eſt magis, alia minus manifeſta: alia, quæ utplurimum conſtantius durat, in corpore generatur ipſo, propterea quoque *naturalis* ſive *interna* dicenda; alia ab extra advenit, tranſitoria magis eſt, et *occaſionalis* ſive *externæ* nomen meretur. Denique, cum *plures nonnunquam cauſæ*, ad producendum eundem morbum conveniant: quod morbus, a variis cauſis progeneratus, eum, quem ſimplex tantum cauſa produxit, vehementiæ gradu ſuperet, facile perſpicitur. Unicam vero

vero et generalem morborum quærere causam, inutile est,* cum diversitas inter morbos intercedens, adeo magna, ejusmodi propositum reddat inane.

* Ratione Ætiologiae morborum, medici, universalem morbi causam quaerentes, ab omni tempore, in varias abierunt partes. Ex antiquissimis, *Græci* nonnulli vel cacochymiam, vel plethoram, vel aliam fluidorum constitutionem a naturali recendentem, accusabant. *Methodici* contra ea morbi causam in solidorum statu vel laxo, vel stricto, vel medio, quaerebant. *Pneumatici* morborum exortum spiritui cuidam adscribebant. *Empirici*, causas minus evidentes, ob naturæ incomprehensibilitatem, penitus negligentes, non nisi evidentes curabant. GALENUS, pathologiæ humerosæ defensor, pro causa morbi venditabat humorum, quos in bilem flavam, pituitam, sanguinem, atramque bilem distinguebat, intemperiem calidam, frigidam, humidam et siccam, eorundem motum inordinatum, aliasque qualitates depravatas, cui sententiæ sequentes medici omnes subscripserunt. E recentioribus, THEOPHRASTUS PARACELSUS causam morbi mox sal, sulphur et Mercurium, mox Tartarum quendam dicit: HELMONTIUS Archeum irritatum (17,*) Robertus. FLUD. atque KOZAK, dæmones quosdam, ceu morborum autores, accusat: TACHENIUS, acidum et alcali: HAUPTMANNUS, vermes et putredinem animatam: BONTEKOE scorbutum, quem iterum ex acido et vi-

scido conflatum vult. ASTROLOGI morbos ex astrorum influxu derivarunt, SCHNEIDERUS e catarrhis, MARCI ex ideis: etc. uti partim e CELSO apparet, partim in STOLLIO Part. I. Cap. II. legitur. Quæ tamen singula, solidis nunquam rationibus probata, esse vana, primo intuitu patescit.

** STAHLIUS, ejusque asseclæ, distinguunt inter causam physicam sive materialem, et moralem sive immaterialem. Hanc ultimam volunt esse animam hominis rationalem, quæ, ceu motuum omnium in corpore causa et directrix, malum quoddam in corpore adesse, huicque exitum minari perspiciens, motus excitat ad malum illud expellendum (17, *) atque sic morbos producit in bonum finem; quam sententiam confirmare inter alia hoc argumento student, quia affectus animi motus non modo varios, sed et morbos excitare, experientia constat: quemadmodum id e G. E. STAHLII, ALBERTI et JUNCKERI *Oper. variis* elucet. Vid. e. g. quæ Stahlianam hypothesin corroborare nituntur, Georg. Ern. STAHL. Diss. Epistol. *de Medicina Medicinæ necessaria*, ad Dn. Luc. *Schroeck*, Hal. 1702. Ej. Diss. *de fundamentis Theoriæ medicæ*. Resp. Godofr. *Meyer*. Hal. 1704. Mich. ALBERTI, et Joh. JUNCKER. *loc. antea cit.* aliisque Diss. quamplurimis, e. g. M. ALBERT. Diss. *de Natura vitæ et sanitatis formatrice*. Resp. Carol. Christian. *Seidel* Hal. 1731. Joh. JUNCKER. Diss. *de rationali motuum Therapia*. Resp. Joh. Phil. *Dern*. Hal. 1742. Porro Georg. DETHARDING. *Scrutinium commercii animæ et corporis*. Resp. Joh. *Schröder* Rost. 1714. Georg. Volcmar. HARTMANN. Schediasma

Apo-

Apologeticum *quo ſententia Ill. Stahlii de natura humana confirmatur* Erford. 1734.

Præterquam vero, quod nec iſti autores hancce ſuam hypotheſin ſolidis unquam ſtabiliverint argumentis: quodque varia exinde fluant, apertam involventia contradictionem, e. g. quod, poſita hypotheſi, anima ægroti eodem tempore velit morbum adeſſe, quia eundem producit, et non velit morbum adeſſe, quia æger illius ſublationem a medico, anxie interdum, poſtulat; quod tandem, poſita hypotheſi eadem, anima rem adeo notabilem ſenſibilemque, qualis eſt morbus, omni conamine moliatur, quam, quod moliatur, ipſa neſcit, imo et averſatur; et quæ ſunt hujus generis alia; per adjectam Georg. DETHARDINGII, inque *Scrutinio Phyſico-medico* ab eodem defenſam, aliam hypotheſin, *de animæ intellectu inſito ab acquiſito probe diſcernendo*, Roſt. 1723. 4to. ubi Autor aſſerit, quod ſecundum priorem appetere anima poſſit idem, quod ſecundum alterum averſatur, firmius nondum explanata: id ſaltem Stahliani concedere coguntur, quodſi vel maxime anima rationalis morbos excitet, eandem illos non niſi mediate excitare, id eſt, in omnibus morbis ſtatum corporis naturalem eſſe immutatum. Ad hunc ergo ſtatum immutatum reſpicit medicus, et contra eundem medicamina dirigit: non ad animam, quæ nec opus habet medicamentis, nec ab iis afficitur: affectus etiam animi, quando eosdem morbus excipit, non immediate id præſtant, ſed accedente certa partium corporis vel fluidarum vel ſolidarum conditione, et interveniente harum partium con-

cur-

cursu. Vid. qui, pariter ac reliqui autores mechanici, stahlianam hypothesin refutant, Christian. Gottfr. STENZEL. præter alios huc pertinentes Tractatus, in Diss. *de Glandularum in plurimis visceribus absentia, contra Actorum Berolinensium Autorem, ubi simul aliæ hypotheses Stahlianæ refutantur.* Resp. Joh. Godofr. *Fritzsch.* Witt, 1731. Franc. Eugen. IHL. Diss. *Utrum sententia Boerhaviana, an Stahliana præstantior sit ad praxin medicam.* Altorf. 1748. Christoph. Martin. BURCHARD. Tract. *de natura, in specie humana.* L. HEISTER. Diss. *de Medico, Naturæ domino.* Resp. Joh. Theoph. Hugo *Rochlitz.* Helmst. 1730. &c.

*** SCHELHAMMERUS *libr. cit.* Vol. II. Cap. I. sqq. causas morborum sequenti ratione disponit, vel ideo adducendus, quod termini ab eodem adhibiti, paucissimis mutatis, non modo a Galenicis, reliquisque sui temporis medicis, sed eorum plurimi a hodiernis adhuc, in eodem fere sensu, in usum ducuntur quotidianum, adeoque eorundem cognitio, ad rite capiendam autorum mentem, est necessaria „Causæ „morborum„ ait „considerantur, vel in ordine ad morbum, vel respectu rerum ipsarum, „quæ causæ fiunt. In ordine ad morbum, causa „est vel proxima vel remota. *Proxima* est, inter „quam et morbum nihil intercedit, eaque non „nisi una est, et nonnunquam sola sufficit, ut „si quis cadens in lapidem impingat, vulnusque accipiat: estque iterum vel *continens*, quæ morbum fovet, adeo ut sine „ejusdem sublatione, hic superari nequeat; vel non continens. *Remota*, inter „quam et morbum aliæ intercedunt, vel „plures vel pauciores, dividitur in *proxi-* „*mio-*

Petr. Chph. BURGMANN. Hypotheseos Stahlianæ Examen de anima rationali corpus humanum struente. Rostoch. 1735.

„*miorem* sive antecedentem, vel præexisten„tem aut proegumenam, e. g. dispositio „partis alicujus aut sanguinis ad morbum (hanc alii adhuc faciunt vel simplicem, aut duplicem, vel naturalem e. g. in hæreditariis morbis, (19, **) aut acquisitam) „at„que *procatarcticam sive occasionalem*, e. g. „quando dispositioni prædictæ accedit aëris „frigus aut calor intensus, vigiliæ, animi „affectus, labor, inedia, etc. Respectu re„rum, quæ causæ fiunt, vel sunt illæ *natura*„*les*, scilicet partes corporis, humores, spi„ritus, temperamentum, ætas, sexus: vel „*nonnaturales*, eæque aut *simpliciter tales*, quæ „sunt eædem ac naturales, ast vitiosæ, e. g. „quando partes, humores, spiritus prædicti, „vitiosam conditionem obtinent; aut *toto* „*genere tales*, quo pertinent ea, quæ in cor„pore penitus non adsunt, sed in eodem „generantur, aut ab extra ingeruntur, ut„pote flatus, vermes, calculi,, (alii addunt venena, putredinem, contagia varia) „vel „tandem *supranaturales*, quæ vel divina po„tentia, vel dæmonum ope, per homines „ipsis deditos, corpori immittuntur.„

**** Num nostro tempore revera *morbi* dentur *magici* sive *supranaturales*, a dæmone excitati aut sagis, id quod olim extra omne positum fuit dubium, hodie diversimode disputatur. Signum ejusmodi morbi primarium in eo ponitur, quando, præter reliquas maxime inconsuetas circumstantias, pilorum, acuum, filamentorum, lapillorum, etc. rejectionem per vomitum et sedes, aut ejusmodi rerum in tumoribus et ulceribus præsentiam, æger

lin-

linguas perfecte loquitur atque intelligit exoticas, quas nunquam antea didicit. Missis vero, quæ ex fontibus Theologicis huc pertinent, eadem hic repetenda sunt, quæ in mox antecedentibus de anima rationali adducta prostant, scilicet, quod ipse dæmon, si vel maxime morbos excitet, statum corporis naturalem invertat; et huic statui immutato remedia sint applicanda. Quodsi autem supranaturale quid simul revera junctum reperiatur, istud, qua tale, extra medicinæ limites esse positum, sponte patet. Vid. Georg. Wolfg. WEDEL. Diss. *de morbis a fascino.* Respond. Frid. *Käseberg.* Jen. 1682. Rudolph. Wilh. CRAUSII Diss. *de Incantatis.* Resp. Joh. Ernest. *Rauschelbach.* Jen. 1701. Gunth. Christoph. SCHELHAMMER. Diss. *de Obsessis.* Respond. Bonifac. *Laurentii.* Kil. 1704. Ej. Diss. *de Morbis Magicis.* Resp. Christ. Mart. *Burchard.* Kil. 1704. Georg. DETHARDING. Diss. *de Obsessione, eademque spuria.* Respond. Christ. Frid. *Stever.* Rost. 1721.

***** Diversæ medicorum de causa morborum generali opiniones non semper impediunt, quo minus, duo e. g. medici dissentientes, in sanando morbo clinico, eadem adhibeant, aut certe ex eadem classe desumpta, medicamenta: ut adeo dissensus ille, experientia teste, majorem in theoriam, minorem in praxin medicam, habeat influxum.

****** Cum variæ causæ occasionales, itemque errores diætetici commissi, adeo sint comparati, ut exinde complures mor-

morbi possint insequi: hinc autores d. iisdem, tanquam de morborum causa quadam generali subinde loquuntur. Vid. e. g. Joh. Ernest. STIEFF. Diss. *de morbis ex somno.* Lips. 1743.

§. 28.

Interna sive naturalis morbi causa (27) ipsa utplurimum consistit in statu partis cujusdam, a naturali recedente, atque sic ipsa constituit morbum: Unde, quod morbus *alium morbum producere* possit, elucet. Idque vel *mediate* contingit, quando nimirum hic morbus, sive causa, effectum in corpore edit talem, ut exinde iterum alius emergat status partis cujusdam contranaturalis sive morbus: vel *immediate*, ubi, absque speciali effectu interveniente, alter morbus statim sequitur. Cumque ne hic quidem morbus prior, sive præcedens, sponte veniat; sed ipse suam habeat causam, cui eadem, quæ mox allata sunt, applicare fas est, et sic porro: hæc omnia ulteriorem semper admittunt progressum, id est, *causa interna suam iterum habet ipsa causam*, donec ad ultimam, quæ omnium primo dedit occasionem morbo, quæque utplurimum ab extra accedit, adeoque externa est, sit perventum. Ex his causa, quæ morbum proxime antecedit, *proxima* dici meretur: ea, quæ hanc producit, si unica adsit, *remotior*; si plures vel conjunctim vel gra-

gradatim accedant, *remotiores* adpellandæ ſunt: primæ tandem, cauſæ *primæ* nomen imponi poteſt. Inſimul vero elucet, quod, quamdiu effectus morbi eousque non aſcendit, ut ſtructuræ partium læſio ſequatur, tamdiu morbus alius non ex eo veniat.

Ponatur e. g. propter diæteticum quendam errorem ſanguinis naſci abundantiam, hinc oriri circulationem juſto lentiorem, et exinde iterum obſtructionem vaſorum capillarium: Tunc obſtructio morbus erit, a morbo alio, ſanguinis nimirum abundantia, generatus, et quidem *mediate*, ſcilicet intercedente circulatione juſto lentiori. Inſimulque circulatio hæc lentior erit cauſa *proxima* obſtructionis: circulationis porro lentioris cauſa proxima, ſive ſanguinis abundantia, erit cauſa *remotior* obſtructionis; error vero diæteticus erit proxima quidem cauſa ſanguinis abundantiæ, et remotior cauſa lentioris circulationis, aſt *prima*, reſpectu obſtructionis, et ſimul, in hoc exemplo, *externa* atque *occaſionalis*. E contrario frenuli linguæ brevitas inſolita, quæ ipſa morbum conſtituit, cauſa eſt interna *immediata* alterius morbi, connexionis ſcilicet linguæ cum partibus proximis nimiæ, quoniam ſpecialis effectus ambos non intervenit morbos.

§. 29.

Morbos certum habere eventum, eorumque exitum triplicem dari poſſibilem; atque ſingulos vel ægroti *reconvaleſcentia* termina-

minari, vel *morte*, vel tandem in *alios transire morbos*: idque omne aut citius contingere, aut tardius: præterea que ex iis, qui salutariter ad finem decurrunt, alios præ aliis facilius, id est, sine majori vehementia, solvi: adeoque, quoad periculum inde timendum, morbum esse vel *nullius momenti*, vel *periculosum*, vel *lethalem*, diuturna medicos docuit experientia. Nata hinc est specialis Pathologiæ pars, PROGNOSIS dicta, quæ consequentias morbi remotiores (22) id est, quid sperandum ægro restet, quidve timendum, contemplatur, imo et præscire allaborat a GALENO ejusque asseclis tanti habita, ut in eo potissimam medici autoritatem atque scientiam ponerent.

* In prædicendo morbi exitu, de quo et æger et adstantes medicum, quandoque statim sub initium, aliquando et cum impetu, interrogant, magna opus est circumspectione. Idque poterea monendum venit, quoniam hanc medicinæ partem tantopere autores nonnulli commendant, ut, quod fecit e. g. SCHELHAMMERUS *loc. cit.* Vol. II. Part II. Sect. II. Cap. I. *Introd.* ipsi „summam jucunditatem et utilitatem maximam„ addicant, quoniam ejus ope „medicus, tanquam Deus quidam, quæ futura sint, prædicere valet„ idque dicant „percommodum medico et quam maxime gloriosum, autoritatem et existimationem concilians„ atque hac ratione prædicere jubeant „salutem et mortem, longitudinem ac bre-

„vitatem morbi et modum, quo ad valetu„dinem redire, vel morte p;rimi periclitan„tem, futurum sit„ quocum et consentiunt Ludov. Hieron. COSNIER. Quæst. Med. *An quo præstantior in praxi Medicus, eo et Vaticinii genio magis præditus?* Resp- Jacob. *Verdelhan des Moles.* Aff. *Paris.* 1743. Franc. Nicol. GAUTIER Quæst Med. *An Diagnoseos Prognoseosque par necessitas?* Resp. Jacob Laurent. *Mauroy* Affirm. *Paris.* 1746. Non enim modo res est homini maxime incerta, prædicere futura, sed et tot tantæque concurrunt circumstantiæ accidentales, ut tota morbi facies, adeoque et periculum, subito interdum mutetur. Hinc etiam quotidie obveniunt exempla medicorum, sibi ipsis nimium in hac re fidentium, quorum effata exitus non confirmat. Nunquam ergo apodictice, sed cum adjecta semper limitatione, de futura morbi magnitudine aut exitu loquatur medicus: imo nec ipsius HIPPOCRATIS prænotionibus, tantopere olim deprædicatis, sine adhibita ulteriori, et præjudiciis vacua, indagatione, confidat: alias enim prædicendi ars facile, loco autoritatis et fiduciæ, ipsi, quem fallacem monstrat, diffidentiam ac opprobrium parit. Atque id eo magis observet medicus clinicus, quo minus, ratione muneris, ad præsagiendum specialia futura est obstrictus, utpote cujus officium potius est, præsenti prospicere malo, id est, mederi, quam prophetizare. Cui etiam sententiæ assentit Mich. ALBERTI in *Jntrod. in Semiologiam, Hygienen, Materiam Med. et Chirurgiam.* pag. 2. §. X.

** *Pulsus* atque *urina*, quemadmodum a non-

a nonnullis pro ſignis morborum diagnoſticis generalibus habentur (24); ſic quoque ad prædicendum ceteris certiora a quibusdam creduntur: et pulſus quidem, uti fertur, a Chinenſium medicis, urina vero ab iis, qui uroſcopiæ ſtudent. Cum vero in præcedentibus jam probatum ſit, pulſum atque urinam, ſola conſiderata, parum facere ad dignoſcendum morbum, ab iisdem ſolis, in puncto prædictionis, multo minus adhuc eſſe exſpectandum, facillime liquet: Vid. SCHELHAMMER. *loc. antea cit.* Cap. II, §. I.

*** Vid. Joh. JUNCKER. Diſſ. *Generalia monita circa prognoſin rite inſtituendam tradens.* Reſp. Joh. *Schanckebanck.* Hal. 1733. Andr. El. BÜCHNER. Diſſ. *de Prognoſi ex lingua in quibusdam morbis formanda.* Reſp. Chriſtian. Wilh. *Pauli* Hal. 1748. Aug. Henr. FASCH. Diſſ. *de Prædictione mortis.* Reſp. Joh. Chriſtoph. *Schnetter.* Jen. 1686. Itemq. Joh. Ludov. WINTER. Diſſ. *de Metaſtaſi morborum.* Witt. 1754. nec non, Joh Chriſtian. REICH, Diſſ. *de Propathia* Lipſ. 1754.

§. 30

Prognoſis deſumitur generatim e comparatione morbi, quoad qualitatem ejus atque magnitudinem, cum viribus ægroti, et cum virtute medicamentorum contra eundem adhibendorum, juncta poſſibilitate, hæc medicamenta rite applicandi. Quo gravior ergo morbus quidem præſens obſervatur; quo magis compoſitus; quo irregularis magis;

gis; quo plures ſimul conveniunt morbi; quo magis vires, ſenſus internus et externi, animi fiducia, excretorum et retentorum, reliquorumque functionum corporis ſingularum regularitas; alimenta et medicamenta neceſſaria deſunt; et quo plures circumſtantiæ e prædictis conveniunt: eo majus periculum, atque mors interdum ipſa, inſtat. Contra, morbus mitior, minus compoſitus, regularis, unicus; ægroto ſimul viribus et animi et corporis ſufficientibus, nec non rebus ad nutriendum atque medendum neceſſariis, inſtructo: excretis et retentis; pariter ac partium ſingularum officiis rite procedentibus: ubi ſimul neque æger neque adſtantes graviorem committunt errorem; minus eſt metuendus. *Speciatim* vero hæreditarii ac habituales morbi præ adventitiis difficilius ſuperantur. Vernales atque æſtivi præ autumnalibus et hyemalibus citius ad finem decurrere ſolent. Morbus quilibet, temperamento ægroti, ætati, ſexui, anni temporibus, vitæ generi, congruus, minus eſt periculoſus, quam is, in quo contrarium obſervatur. Morbi etiam ſinguli, gravidis, parturientibus, puerperis, lactantibus, præ reliquis ſexus ſequioris perſonis, et moleſtiam et periculum augent, propter vires e dictis circumſtantiis jam jam fractas, hinc morbo vincendo minus, quam alias, pares.

§. 31.

§. 31.

Morbus ad ſummum perventus punctum, non ſemper mitiori curſu tempus percurrit quartum (20): ſed quandoque plus minus ſubito, vel totus, vel maximam partem, ſalutari eventu ſolvitur, ope excretionis cujusdam, ſudoris videlicet, vomitus, diarrhœæ, urinæ fluxus, hæmorrhagiæ, ſalivationis, etc. vel ſimul et ſemel, vel repititis vicibus, inſigniter auctæ, idque cum manifeſto, quod inde capit ægrotus, levamine. Hoc ſi contingat, naturam (vocabulo ſecundum varias hypotheſes diverſimode ſumpto) *critice* morbum ſolvere, ſeu *criſin* inſtituere, dicunt medici, atque ejusmodi evacuationes *criticas* denominant: quas in quibusdam ſolummodo morbis locum habere, nec niſi certis aliquibus diebus, *critici* exinde dictis, fieri, contendunt nonnulli. Rei ipſius veritatem in morbis clinicis experientia comprobat; iſtud autem in quibuslibet, et quovis termini quarti die contingere poſſe, licet actu non ſemper eveniat, eadem et ratio dictitant.

* Circa doctrinam de *Criſi*, quod vocabulum, vi vocis, *judicium* ſive ſententia lata denotat, maxime differunt autores. Quidam et lethalem morbi eventum, ſubito exortum, huc trahunt: atque hi criſin definiunt, quod ſit ſubita ac repentina morbi mutatio per manifeſtam excretionem, qua ægrotus vel ad priſtinam valetudinem redit,

vel exſtinguitur. Alii criſin tantummodo admittunt, quando ejusmodi evacuationes ſalutari ſtipantur eventu: e quorum numero quoque eſt G. E. STAHLIUS, qui in Diſſ. *de periodis acutarum ſine criſeos eventu exquiſitis.* Reſp. Maur. Andr. *Sultze.* Hal. 1708. conditionem addit, ut hoc ipſo actu morbus totus revera expugnetur; vid. *loc. cit.* §. IV. Nonnulli in febribus potiſſimum fieri eandem die ſeptimo, nono, undecimo, quarto decimo, &c. contendunt: alii in aliis quoque morbis, cujus cauſa in ſanguine et ſero reſidet, admittunt: alii adhuc penitus negant. Dantur etiam, qui eandem diſtinguunt in *perfectam* et *imperfectam*, ac pro priori declarant ejusmodi evacuationem, quae morbum plenarie ſolvit: pro imperfecta vero, quando materiæ morbificæ verſus alium quendam locum fit metaſtaſis cum morbi ſotione, id eſt, quando morbus in alium morbum tranſit: Vid. SCHELHAMMERUS Vol. II. Part II. Sect. III. Cap. XII. Frid. HOFMANN. *Med. Syſt.* Tom. III. Sect. I. Cap. XV. M. ALBERT. *Semiolog.* Sect. XI. Barthol. MURRY Quæſt. Med. *An a recta criſium doctrina et obſervatione medicina certior?* Reſp. Julian. *Buſſon.* Aff. *Paris* 1741. Anton. FERREIN Quæſtio Med. *An a natura rarius, quam ab arte, ſperanda criſis?* Reſp. Ambros. *Hoſty*, Aff. *Paris* 1749 alii. Criſin vero certum dierum non obſervare numerum, probat Ludov. DEVAUX. Quæſt Med. *An diverſo judicentur tempore, qui iidem ſunt ſpecie morbi?* Reſp. Jo. Matth. *Le Bert.* Aff. *Paris* 1715.

** Vid. ad huc Georg. Wolffg. WEDEL. Diſſ. *de Diebus Criticis.* Reſp. Georg. Tob. *Wal-*

Wallich Jen. 1667. Frid. HOFFMANN. Diss. *Crisium naturam et explicationem rationalem sistens.* Resp. Joh. Petr. *Artopoeus* Hal. 1706. Georg. Ern. STAHL. Diss. *de Acrisia in febribus.* Resp. Joh. Ferdin. *Curaeo.* Hal. 1707. Joh. Henr. ASSUM Diss. *Theoriam Crisium in febribus rationalem exhibens.* Argent. 1741. Petr. GERICKE. Diss. *de crisibus.* Resp. Dionys. *Döring.* Helmst. 1742. Sam. Theod. QUELMALZ Diss. *de Salubri morborum per crises exitu.* Resp. Joh. Christian *Hebenstreit.* Lips. 1748. Joh. Andr. SEGNER. Diss. *de Depositionibus Criticis.* Resp. Andr. *Conrad* Gött. 1748. cum adj. Georg. Gottlob. RICHTER. Progr. *quod Crises veterum in morbis, propriumque iis tempus perpendit.* Sam. Theod. QUELMALZ. Diss. *de Evacuationum criticarum vicissitudine.* Resp. Joh. Gabriel *Thilo.* Lips. 1750.

§. 32.

Morbus aliquando, praesertim si mitior fuerit, absque medentis concursu ad finem decurrit salutarem, ipsa corporis vivi structura, et actione partium reliquarum illaesarum, ad medendum sufficientibus. Saepissime tamen status partium imperfectus, ut ad conditionem revertatur naturalem, medici opus habet adminiculo. Illud vero in genere quarta Pathologiae generalis sectio monstrat, quae propterea METHODUS MEDENDI sive *Therapia generalis* nominatur, ac e mediis, ad medicinam universam spectantibus (3), de remediorum potissimum inter-

norum applicatione juſta regulas proponit univerſales.

§. 33.

Methodus medendi morbum ſupponit curabilem. Ut vero ſanari queat morbus, requiritur: 1) ut medico morbus pateat; 2) ut ejus cauſa, ſi perſiſtat, removeri ſe patiatur; 3) ut contra eundem morbum medicamenta dentur; 4) ut et in promptu habeantur eadem, et rite applicentur. 5) ut magnitudo morbi talis ſit, cui medicamentorum, cognitorum et preſentium, vires non ſunt impares. Atque hinc ſimul patet ratio, cur aliquando arte plus valeat docta malum. Morbus enim ille abſolute incurabilis eſt nominandus, cujus cauſa auferri abſolute nequit; contra quem, licet cognitum, medicamenta appropriata nondum ſunt inventa; isque, qui remediorum quorumvis cognitorum efficaciam ſuperat. Accidentaliter quoque morbus redditur inſanabilis: ſi vel ipſe, vel ejus cauſa perſiſtens, ſtudio celetur ab ægroto aut adſtantibus; ſi medicamenta equidem dentur appropriata, eadem vero medenti lateant | ſi medicamenta, licet cognita, ſufficientia, ac præſentia, debita methodo non applicentur, vel propter moroſitatem ægri inſuperabilem, vel propter ipſius atque adſtantium errorem, vel denique propter aliam quandam cauſam advenientem.

, aut non ſint in promptu;

§. 34.

Ex hisce monitis simul elucet partim, quam vana sint eorundem conamina, qui omnium morborum medelam indiscriminatim promittunt. Hi enim, morbo inopinate, aut contra promissum datum, lethaliter terminato, ut se ipsos exculpent, mortis causam, eamque sæpius innocentem, e longinquo adducere coguntur: unde et interdum e. g. prioris medici, si antea forte adhibitus alius fuerit, errorem in principio medelæ commissum, nec amplius emendabilem; pharmacopoei in præparando medicamento, adstantium, ipsiusque ægroti, errores, sine fundamento accusare observantur; aut alia ejusmodi dicteria, parum decentia, in medium afferre. Partim ut et e contrario, illi in medicum sint injurii, qui plus ab eo postulant, quam in medicinæ collocatum est potestate, sequitur.

§. 34.

Morbi nonnulli, saltem illi, qui, ceu effectus immediati ab aliis progenerantur morbis (28.), sublata causa, sponte et aliquando immediate, evanescunt. Quamdiu autem morbi causa subsistit, ipse morbus vel penitus exterminari nequit: vel, exterminatus licet, facillime recrudescit, nec ejus reditus, plus minus tarde contingens, ullo prohiberi potest modo. Unde sequitur, ut *ante omnia causa morbi*, sive interna adfuerit, sive occasionalis, *removeatur*: Et cum id non semper sit possibile, atque aliquando periculum

e morbo metuendum, hujus vel plenariam, vel pro parte absolvendam, requirat medelam præcedentem; ut pro diversa ejusdem conditione, ea vel mitigetur, quantum fieri potest; vel simul cum morbo, vel saltem statim post eundem superatum auferatur, cura est habenda.

§. 35.

Morbus interdum, præprimis si vires corporis nimium non sint destructæ, absque ullis medicamentis internis, sola diæta congrua superatur (10, *). Nunquam autem morbi medela sine illius concursu est speranda: præsertim cum, experientia comprobante, errores diætetici primarium inter causas externas sive occasionales locum obtineant. Ut ergo *regulas diætæ strictioris* (10) *æger observet*, necesse est.

Sola imagintione vividiori interdum morbos graviores sanari, contendit German. PREAUX. Quæst. Med. *An imaginatio, ut plures præter naturam affectus gignere, sic plures præter naturam affectus sanare potest?* Resp. Toussan. Gilbert *Boulland.* Aff. *Paris.* 1733.

§. 36.

Medicamenta, contra morbum quendam directa, ratione virium, morbi respondeant con-

conditioni, gradui ac temporibus: ratione dosis, ætati, temperamento, viribus ægroti: et quoad usus diuturnitatem, morbi pertinaciæ. Morbo itaque mitiori *mitiora* sufficiunt remedia, doses mediocres, cum usus intervallis longioribus: morbo autem vehementiori, medicamenta *generosa*, doses pleniores, et assumendi intervalla breviora quadrant. Acutus morbus *breviori* remediorum usu profligatur: chronicus e contrario *diuturniorem*, et proportionate requirit protractum. *Leniora* remedia iis conveniunt, qui vel propter ætatem teneram, vel propter fibrarum subtilitatem, corporis robore adeo magno non pollent; robustioribus et ætate provectioribus *fortiora* dentur.

Tandemque in medendo morbo quolibet generatim *mitiora* primum sumantur semper medicamenta, nec ad fortiora deveniatur ante, quam priora observantur minus sufficientia: nisi speciales circumstantiæ contrarium potius suadeant.

* Antiquioribus in explicanda methodo medendi generali morbus dicitur *indicans*; medicamentum, huic morbo conveniens, *indicatum*; et electio remedii congrui, *indicatio*. Adhæc in eligendo medicamento non modo morbi, sed etiam causæ interdum, ac symtomatis, præsertim urgentis, (40. sch.) habebant rationem; et ejusmodi causa, ut et Symptoma, ad quæ respiciendum

dum necesse credebant, ipsis erat *coindicans*; ac denique *contraindicans*, morbus quilibet, sive corporis conditio, quae remedii, alias contra morbum optimi, usum, propter majus huic exinde metuendum augmentum, interdicebat.] Quidam ea propter de triplici loquuntur indicatione, *curatoria*, quae morbum; *præservatoria*, quae causam; tandemque *vitali*, quae symptoma urgens, vitae periculum minans, respicit. Vid. Carol. Christian. KRAUSE Diss. *de Inventione Indicationum universim.* Lips. 1753.

** Olim, in aggrediendo morbo, *generalia* quaedam media, Venæsectionem nempe, purgans, sudoriferum &c. semper præmittere specialibus, contra morbum in specie directis, medici solebant: quod ipsum tamen hodie, propter diversitatem morborum, qui ejusmodi remoram non semper absque damno ferunt, adeo universaliter non amplius est in usu.

*** Medicamentorum usus, nisi proportionate protrahatur, morbum semiexstirpatum brevi recurrere, imprimis, si levior quilibet accedat error diæteticus, experientia docet: in quo casu subinde pertinacior, quam antea, medelae denuo inchoandae resistit. Vid. A. Q. RIVIN. Diss. *de Ricitiva.* Vid. Ej. *Diss. Med.* Diss. XLI. A. E. BÜCHNER. Diss. *de Præcavendis et prudenter tollendis morborum recidivis.* Resp. Joh. Christian Wilh. *Verpoorten.* Hal. 1748. *Ej.* Diss. *de Morborum recursu* Resp. Dan. *Pfeiffer.* Hal. 1751. Joh. Hier. KNIPHOF. Diss. *de Morborum recidivis.* Resp. Joh. Georg. *Engel.* Erford. 1752.

§. 37.

§. 37.

Propter diverſas, quas medicamenta poſſident vires (11, *) haud raro contingit, unicum remedium plus uno morbo mederi. Quodſi ergo morbus occurrat vel duplex, vel compoſitus, cui toti ſimplex remedium ſufficit: ambobus vel pluribus, eundem conficientibus, valetudinibus *ſimul mederi* licet. Si vero plures ſimul conveniant morbi, eodem medicamento non expugnabiles: illi omnium *primo* obviam eatur, a quo majus periculum imminet: et hujus medela tamdiu continuetur, donec, imminutus, alteri vehementia ſit inferior; quo facto, eundem relinquendo, medicina contra alterum hunc dirigatur: eaque mutua viciſſitudo ad finem usque duret. Cumque, ſi morbi conjuncti contraria forte indigeant medela, evitari nequeat, quin, alterum morbum, majorem videlicet, expugnando, alter ex iisdem remediis, ipſi noxiis, augeatur: ne augmentum hoc nimis aſcendat, cavendum eſt. Quo ipſo ſimul elucet, ut, ſi duo ejusdem magnitudinis morbi periculoſi conveniant, medelæ poſſibilitas ſuperſit nulla: cum neuter eorum, jam antea maximus (quod ſupponitur) minimum augmentum, a remediis, alterutro oppoſitis inevitabile, absque plenaria ægroti pernicie, ipſis tunc remediis adſcribenda, pati queat.

§. 38.

§. 38.

Morbus chronicus interdum, propter ſtatum partis cujusdam in corpore adeo mutatum, ut in integrum reſtitui amplius non poſſit, vel propter cauſam remotu impoſſibilem, vel aliam ob rationem, tolli nequit: interim tamen moleſtiæ, a morbo oriundæ, imminui ſe quandoque patiuntur, atque ſic ægrotus aliquamdiu adhuc conſervari, et vitam diutius trahere ſuperſtitem cum aliquali levamine, poteſt. Hujusmodi medendi ratio *medelam* conſtituit *palliativam*: atque in eo generatim conſiſtit, ut e morbis ſimplicibus (20), morbum compoſitum formantibus, ſive, ut alii loqui malunt, e ſymptomatibus (40) illi, vel penitus vel pro parte, deſtruantur, quorum deſtructio adhuc eſt poſſibilis.

Hac e compoſitis, complicatam aegritudinem ſiſtentibus

Vid. Georg. Wolfg. WEDEL. Diſſ. *de Cura palliativa*. Reſp. Phil. Frid. *Schmeltzer*. Jen. 1703. Andr. El. BÜCHNER. Diſſ. *de prudenti Morborum inſanabilium mitigatione*. Reſp. Joh. Frid. *Schoepfer*. Hal. 1750.

§. 39.

Momenta igitur practica, a medico clinico obſervanda, ut, quantum poſſibile, cito, tuto, et jucunde medeatur, hæc fere ſunt præcipua:

1) Ante omnia e ſignis, cuilibet morbo

bo propriis, morbum dignoſcere ſtudeat: idque ſi uno impetu et primo conamine fieri non poſſit, reiteratam adhibeat diligentiam.

2) Cognito morbo, in ejus inquirat cauſam, num adhuc perſiſtat illa, an jamjam tranſierit: numque ante morbum eadem queat tolli, nec ne.

3) Videat, num remediis cognitis ſuperabilis ſit morbus, an non; ne inceptum ſit inutile.

4) Remedia eligat congrua: et in iisdem dandis ad ægroti palatum reſpiciat, quantum quidem id licet: farraginem vero remediorum, tanquam incongruum quid, haud raro noxium, ſaltem inutile, evitet.

5) Ab invento medicamento congruo, et uſu diuturniori probato, etiamſi ſperatus effectus ilico non ſequatur, ad aliud quoddam non facile tranſeat. Interim et uſui cujusdam remedii, quando nullam id plane affert medelam, licet ſatis diu adhibitum; aut ſi, vel propter ſpecialem ægroti averſionem, vel aliam ob cauſam, morbus cum eo augeatur, moroſe non inſiſtat: ſed aliud, quoad vires cum præcedenti conveniens, aut, ſi viſum fuerit, ex alia penitus claſſe deſumptum, ſubſtituat.

6) In ordinanda diæta, ab uno extremo, ſive contrario, ad aliud præcipiti curſu nunquam deveniat: quoniam, maxime in hac re, omnis mutatio ſubitanea eſt periculoſa.

7) A

7) A morbo vel ſumme periculoſo, vel plane incurabili, aut abſtineat in totum, niſi munus publicum, vel alia obſtrictio, aliter jubeat: aut non niſi prognoſi, ſive ægroto ſive adſtantibus detegenda, munitus ægroti curam in ſe ſuſcipiat.

* Quoad evitandam in ſpecie medicamentorum farraginem, Vid. Chriſtian. Steph. SCHEFFEL. Diſſertationes, de *Mictopharmacomania, deque maiori medicinæ certitudine ex uſu ſimplicium medicamentorum præ compoſitis acquirenda.* Gryphisw. 1735-38. Ludov. Joh. le THIEULLIER Quaeſt. Med. *An a curatoriæ methodi ſimplicitate, curati ſecuritas?* Reſp. Claud. *Perſon.* Aff. *Paris.* 1743. Franc. David. HERISSANT Quaeſt. Med. *An permultis et compoſitis indicationibus pauca et ſimplicia medicamenta?* Reſp. Alexand. Dionyſ. *Dienert.* Aff. *Paris.* 1748. Gaſpard. COCHON DUPUY Quaeſt. med. *An medicina practica, quo ſimplicior, eo melior?* Reſp. Carol. *Geille de S. Leger.* Aff. *Paris* 1750. alii.

** Dantur, qui ſibi perſuadent, quod ad feliciter ſuperandum morbum vel abſolute ſit neceſſaria, vel ſaltem multum faciat aegroti in medicum *fiducia*: unde et nonnulli fiduciam hanc ut juniores practici vario ornatu externo, ſermone, etc. ſibi, ceu praecipuum medendi arcanum comparent, praecipiunt. Quamvis vero fidentia iſta aegrotum, ad eo accuratius explenda medici praeſcripta, forte conſtringat; tamen neque fidu-

fiducia, maxima licet, sola sufficit; neque ea sola deficiens, remediorum, rite adhibiterum, efficaciæ quid derogat.

*** Autores de aliis adhuc, medelarum generibus variis loquuntur, e. g. *de cura per exspectationem*, de qua M. ALBERTI in speciali egit *Dissert*, Resp. Ludov. Jul. *Jaquemin*. Hal. 1718. it. Abr. VATER. Diss. *de Cura morborum, quæ peragitur exspectatione*. Resp. Christian Godofr. *Schönwald* Witt. 1746. Sub hac, si autor quidam intelligat *ejusmodi* methodum medendi, ubi medicus ægroto vel plane nulla subministrat remedia, vel penitus inefficacia, exspectans interea temporis, quo vergant naturæ conatus, ut, iisdem se manifestantibus, medicinam proprie inchoet; eundem facile hac exspectatione morbo dare occasionem, ut eundo vires acquirat, postea non semper domandas, manifestum est; imprimis, cum ejusmodi naturæ conatus, omni respectu, sint maxime dubii. Quodsi vero ejusmodi locutio *talem* exprimat medici methodum, ubi hic, non obstantibus circumstantiis accidentalibus quibusdam, remediis appropriatis, et potissimum lenioribus, tamdiu insistit, donec generosiora et tempus et locum congruum inveniant; illum revera non per exspectationem sanare, sed rite et secundum præscriptas regulas agere, itidem patet. Pari quoque modo aliæ locutiones, hinc inde obviæ, haud difficulter explanantur, nisi per se jam satis sint claræ, e. g. Joh. LEMBCKEN. Diss. *de Vere et Cura Vernali* Resp. Christian. Hartwig *Vehr*. Gryph. 1722. M. Alberti. Diss. *de Cura Assatoria*. Resp. Christian

ſtian Gottlob *Demiani*. Hal. 1748. Georg. Ern. STAHL. Diſſert. *de Curatione Æquivoca*. Reſp. Joh. Frid. *König*. Hal. 1706. *Ej.* Diſſ. *de Methodica Curatione*. Reſp. Joh. Caſp. *Bucholtz*. Hal. 1709. Mich. ALBERTI Diſſ. *de ſanatione fortuita*. Reſp. Bernh. Wilh. *Rödder* Hal. 1721. &c.

§. 40.

Antiquiores pariter atque recentiores frequentem *Symptomatum* injiciunt mentionem, et, ex hoc fundamento, morbos ſpeciales varios determinant, quod ſint interdum *idiopathici*, interdum *ſympathici*. Quamvis vero in definiendo ſymptomate non conveniant, hoc nomine tamen generatim exprimum *morbum ſpecialem, qui alium morbum primarium concomitatur*, ſive eidem jungitur: atque ſic *ſympathicus* illis eſt morbus quilibet, alii morbo, qui eſt primarius, junctus, adeo ut ab illo dependeat, ſive ſit progeneratus. Idem vero morbus fit *idiopathicus*, quando absque altero morbo, adeoque per ſe, ſubſiſtit. Symptomatum in medendo morbo habendam eſſe rationem, volunt alii: alii acriter denegant, in eosque, ceu empiricos, obtrectationibus invehunt, qui in morbi medela ſymptomatum quoque curam gerunt: excipientes interim *urgentia*, id eſt, ea, quæ præ ceteris aut moleſtant ægrum, aut periculum afferunt; horum namque ſimul

permit-

permittunt medelam. Verum enim vero, cum ſymptomata quævis nil aliud ſint, quam morbi, ad ipſa quoque, ſive urgentium cognomine veniant, aut ſecus, eſſe attendendum, niſi ſint e numero ſimplicium morborum, qui immediate ab aliis morbis producuntur, hæc namque, poſt cauſam remotam, ſponte ruunt(34), facile patet: quod et contrarium ſentientes neſcii approbant, dum formulam componentes medicam contra morbum primarium, plura commiſcent remedia, et morbo et ſymptomatibus paria.

*SCHELHAMMERO Symptoma eſt af„fectio in corpore humano, poſt morbum „apparens, ex eo ipſo, vel ejus cauſa proce„dens, et aliquid de conſtituotine partium, „humorum, vel ſpirituum manifeſtans. Vid. *Ej. libr. cit.* Vol. II. Sect. III. Cap. I. §. IV. quod Galenicorum alii ita exprimunt: Sym„ptoma eſt id, quod morbum ſequitur vel „comitatur„ JUNCKER. Symptoma definit, quod ſit „præternaturalis actionum conſti„tutio, quæ vel tanquam vere morbida et „paſſiva laeſio actionum, vel tanquam acti„va, proportionata, et ſalutari intentione „ſuſcepta, alteratio motuum ſecretoriorum „et excretoriorum conſiderari debet, vid. Ej. *Conſp. Medic.* Tab. I. pag. I. Frid. HOFFMANN. *Medic. Syſt.* Tom. II. pag. 63. §. XXVII. ait „Motus ſolidorum et fluidorum „in morbis valde immutati lædunt et tur„bant functiones corporis noſtri variis „modis; et hæ functionum læſiones vocari

 „vul-

„vulgo ſolent Symptomata„ dividens deinde ſymptomata in eſſentialia et ſecundaria. SCHELHAMMERUS etiam *loc. cit.* diſtinguit inter ſymptoma morbi, ſymptoma cauſæ, et ſymptoma ſymptomatis, alias adhuc differentias plures adducens. *Urgentia* vero ſymptomata idem autor determinat, quod ſint ſeptem, dolor nempe, vigiliæ, lypothymia, excretiones nimiæ, calor, ſitis, delirium.

** JONSTONUS, præ reliquis autoribus, ſymptomata varia, aliis ſic dicta, pro veris declarat morbis, eorum plenam hiſtoriam cum medendi methodo proponens, vid. Ej. *Ideæ Medicin.* Libr. I. Tit. IV. *ibid.* Libr. III. Tit. III. Cap. II. Artic. II. *ib.* Lib. IV. Cap. III. IV. Cap VIII. Tit. II. Cap. I. II. &c. Symptoma eſſe vel morbum, vel rem morboſam: et tot dari morbos, quot ſymptomata, dicit quoque, J. H. SCHULZ. Diſſ. *de Cutis exterioris morbis.* §. LXXIX. LXXX. (86, **).

§. 41.

Quoniam medicus experiri ſingula ipſe nequit; eſt enim, uti id HIPPOCRATI jam innotuit, ars longa, vita brevis: præter experientiam propriam, aliena quoque utitur (7, *). Cum vero hæc potiſſimum e fidis *morborum hiſtoriis* hauriatur: neceſſe eſt, ut tam e copioſiſſimis, quæ proſtant, obſervationibus ſelectum quendam faciat, nec falſa, in iisdem haud raro contenta, aut in-

incompleta, pro veris atque talibus, quibus tuto confidere poſſit, aſſumat; quam ipſe, hiſtoriam deſcribens, errore non labatur. Completa itaque, ac rite facta, morbi obſervatio, ſive ad morbi jamjam cogniti ulteriorem certitudinem ea componatur, ſive nova quædam, hactenus incognita, proponat: 1) ſigna morbi et huc pertinentes effectus, tam in principio, quam in augmento, ſtatu ac decremento obſervata, plenarie enarrat: 2) cauſas quoque, quantum easdem detegere fuit poſſibile, adjicit: 3) medicamenta, morbo oppoſita, eorumque effectus, ordine decenti deſcribit: 4) morbi eventum, et mutationes, ſi quæ adfuerint, exactiſſime annotat: 5) præprimis vero circumſtantiarum eſſentialium ne unicam quidem negligit; accidentalia autem phænomena, niſi ad explicandam morbi variationem fecerint, aut alia ſpecialis acceſſerit ratio, vel penitus non, vel parciſſime adjicit; quia hæc ultima ad morbum proprie non ſpectant; adeoque, ſi ſcrupuloſe nimis annotentur, et annotantis laborem, et deſcribendi prolixitatem, ſine neceſſitate ac fructu augent, lectorem quoque, minus exercitatum, facillime confundunt.

* Maximus hiſtoriarum, in autoribus obvenientium, defectus, præterquam quod nonnulli phænomena, omnem probabilitatem ſuperantia, enarrent, in eo conſiſtere obſervatur

vatur, quod autores haud raro remediis adhibitis medelam adſcribant inſequentem: cum tamen ejusmodi poſſibilitatis ratio nec ab ipſis adducatur, nec alias appareat. Quod enim toto die occurrit in communi vita, id in medicina quoque contingere poteſt, quod ſcilicet eventus rerum accidentaliter tantummodo adveniant. Unde hiſtoriis in hac preſertim re fides non habenda eſt, niſi vel experientia, ſæpiſſime reiterata dubium omne tollat, vel aſſerta rationes ſufficientes corroborent. Vid. Joh. Bohn. Diſſ. *de Experientia fallaci.* Reſp. Jac. Herm. *Albrecht.* Lipſ. 1710. Frid. HOFFMANN. Diſſ. *de Modo Hiſtorias morborum recte conſignandi, et ad uſum applicandi.* Reſp. Carol *Sibeth* Hal. 1721. Georg. Chriſtoph. DETHARDING. Diſſ. *exhibens hiſtoriam morborum conſcribendi fidam et arcanam methodum.* Reſp. Phil. Sam. Horn. Roſt. 1734. Franc. Adam Wolffg. DE WINTER. Diſſ. *de Cautione in obſervationibus phyſico-medicis adhibenda.* Altorf 1744.

** Quoniam autores alii, tam antiquiores, quam recentiores, pathologiam generalem fuſius longe, quam hic factum, imo et in variis punctis ſpecialibus aliter, pertractant; præter diverſa ea, quæ e reliquis medicinæ partibus huc trahunt, morbos particulares quamplurimos ſimul explicantes, prouti id in antecedentibus jam fuit monitum: eorum ſingulorum prolata, ſi placet, in libris eorundem, itidem pro parte in antecedentibus commemoratis, aut aliunde cognoſcendis, quærantur.

PARS. II.



PARS. II.

PATHOLOGIA SPECIALIS.

§. 42.

PATHOLOGIA SPECIALIS, morbos corporis humani ſingulos ſeparatim tradens, ſecundum morborum differentiam præcipuam in ſimplices et compoſitos (20) quam commodiſſime in duo diſpeſcitur capita, quorum primum *morbos* proponit *ſimplices*, alterum *compoſitos* pertractat.

Autores, qui morbos deſcribunt ſpeciales, adeoque huc pertinentes, varios, habent jam adducti, STOLLIUS *loc. cit.* partim Part. I. Cap. II. partim Part. II. Cap. I atque KESTNERUS *loc. cit.* Cap. III. Sect. II. et Cap. VI. Sect. III. (17, **)





CAP. I.

MORBI SIMPLICES.

§. 43.

MORBUS SIMPLEX (20) unico tantummodo *ſigno* indiget pro ſui dignotione, nec plures admittit, effectum quippe edens unicum (22): *cauſam* quoque proximam ordinarie habet unicam, vel internam vel externam (27): præ compoſito facilius ad *finem* decurrit, ſi ſanabilis fuerit; ac, ſi inſanabilis ſit, tantas, quas compoſitus, moleſtias creare non poteſt, facile tamen in alium, vel ſimplicem, vel compoſitum, morbum tranſit: tandemque unicum ſolummodo poſtulat *remedium*, aut non niſi unicam e remedii, pluribus forte inſtructi, viribus.

§. 44.

Morbi ſimplices tot neceſſario dantur, quot dantur modi, quibus partes corporis ſingulæ a ſtatu naturali, ſive perfecto et ſano, recedere poſſunt. Hi vero ipſi optime ſequuntur partium corporis diviſionem principalem in ſolidas et fluidas, quoniam ſingulæ

læ ſtatum amittere naturalem poſſunt diverſimode. Unde et hoc primum caput in duas abit ſectiones, *de morbis ſolidarum partium ſimplicibus* alterum, alterum *de ejusmodi morbis partium fluidarum.*

Morbos non ineſſe, niſi partibus ſolidis, adeoque fluidorum morbos dari nullos, quidam contendunt, e. g. SENNERTUM in hac re, uti et in aliis multis, ſecutus SCHELHAMMERUS, qui *libr. cit.* Vol. II. Sect. I. Cap. I. §. IV. ſq. rationem hanc addit, „quod fluida ad partes corporis non ſint „referenda, ſed potius contentum in conti„nente repræſentent, praetereaque abeſſe „poſſint a corpore, et hoc nihilominus ma„neat integrum: quod proinde morborum „tantummodo cauſæ, non vero ipſi mor„bi, iis inhabitent„ Aſt idem Autor *loc. cit.* §. VIII, in ſpiritibus, ſub certa limitatione, morbos concedit, quos SENNERTVS aliique ad ſymptomata retulerunt: adeoque in opinione defenſa ipſe fluctuat: et, fluidis omnibus e corpore abſentibus, hoc non amplius eſſe corpus humanum, in quantum eſt medicinæ objectum (2,*****); adeoque vel ex hoc fundamento, fluida pertinere ad partes corporis, hinc morbis, ſecundum definitionem allatam (17), obnoxia eſſe, quis eſt, qui non perſpicit negotio facili? Quando vero alii, ad defendendam theſin, addunt „quod materia morbifica, quamdiu hoſpi„tatur in fluidis, ſanitatem non lædat, ſed „tum demum, quando partes ſolidas ag„greſſa fuit„ tunc ſanitati latiorem tribuunt ſenſum, quam hic factum eſt (1).



SECTIO I.

MORBI SIMPLICES PARTIVM SOLIDARVM.

§. 45.

SOLIDAE CORPORIS PARTES aliæ ſunt ſimpliciores, utpote fibra atquecanalis, et ex his iterum fibra, pars eſt omnium ſimpliciſſima: aliæ magis deprehenduntur compoſitæ, tegumenta ſcilicet, muſculi, vaſa ſanguifera, nervi, oſſa, oſſibusque annexa, atque viſcera. Admittunt vero mutationem et receſſum a ſtatu naturali, FIBRAE *tenuitas*, *ſiccitas*, *durities*, *tenſio*, *atque particularum cohæſio*: CANALIS, præter mox commemorata omnia, ipſi, quoniam e fibris componitur, etiam competentia, *diameter*, *cavitas*, *apertura*: PARTIS denique cujuslibet magis compoſitæ, ſive exterius in corpore ſive interius collocatæ, majoris aut minoris, præter ea ſingula, quæ fibris atque canalibus, ejus compoſitionem intrantibus, adeoque et parti ipſi mediate, contingunt, *numerus*, *ſitus*, *volumen*, *figura*, *color*, *internarum denudatio*. Harum ergo ſtructuræ proprietatum vitia in pluri-

mis

mis earundem in eo, quod in gradu, vel majori, quam par eſt, vel minori, adſint, conſiſtentia, partium ſolidarum morbos determinant ſimplices, eaque propter ſingulatim pertractari merentur.

* Quamvis ſinguli fibræ, ſeorſim ſpectatæ, morbi ſimplices in canali quoque locum habeant, et amborum morbi ſimplices iterum in qualibet parte corporis, quo nomine hic tam primi, quam ſecundi, tertii, quarti ordinis (20,*) partes veniunt, occurrere poſſint: attamen neque fibrarum vitia quævis inter canalium ægritudines, neque ambarum mala ſingula in enumerandis partium morbis, repetuntur; quoniam e ſedis diverſitate nihil novi ipſis accedit. Paucorum interim iterata fit mentio: quia aliis ſemper conſectariis ſtipantur, prout vel in fibra, vel in canali, vel in parte magis compoſita, ſedem figunt iidem morbi ſimplices, adeoque ulteriorem quandam repetitionem poſtulant atque admittunt.
Et contra ea, partium compoſitarum morbi ſimplices quilibet, his in ſpecie adſcripti, etiam fibras aliquando vexant atque canales. Quum tamen illi diſtinctiores in partibus iſtis, quam in fibris aut canalibus, effectum monſtrent, hinc in partibus iisdem potius conſiderantur.

** Fibræ, antequam canalem ſiſtunt, membranam prius efformant. *Membranarum* interim *morbi* ſimplices ſigillatim haud enumerantur, quia, in hac occurrentes, ordinarie non mutantur. Quodſi vero di-

vers

verſum edant effectum, aut alia exinde naſcatur ſpecialis circumſtantia quædam, tunc membrana ad partes compoſitas, qualis in corpore revera eſt, tranſit, atque ſic de ea quoque valent, quæcunque de hiſce partibus in genere ſunt allata.

§. 46.

Generatim morbi præcedentes (45) ſinguli, vel *ſoli* obveniunt, vel morbo alii, aut ſimplici aut compoſito, ſive uni aut pluribus, juncti: majorem aut minorem *gradum* agnoſcunt: vel ſenſibus externis, viſui maxime, tactuique *patent*, in regionibus corporis viſu tactuque explorabilibus, obvenientes; vel ſi pars affecta intus nimis lateat, nec accidentaliter ſit denudata, ex effectibus reliquis proximioribus ſunt dijudicandi (22): aut vitium conſtituunt connatum; aut aliam agnoſcunt *cauſam*, eamque vel internam, adeoque morbum quendam prægreſſum utplurimum, vel externam ſive occaſionalem (27. 28): partis affectæ, ac per iſtius cum aliis, præſertim cum proxime vicinis, connexionem, integri membri cujusdam, imo et totius corporis, actionem plus minus impediunt, aut penitus ſufflaminant. *Medelam*, ſi nec motum corporis, vel partis, in qua reſident, nec hujus uſum, offendant; aut, ſi parum tantummodo hoc reſpectu noceant, non expoſcunt:

ac

ac si sint effectus alterius morbi sanabilis immediatus, cura speciali non indigent, quoniam, sublata causa, sponte abeunt: neque, si connati fuerint, aut inveterati, aut in nimio gradu præsentes, facile admittunt, tunc quippe utplurimum immedicabiles censendi, et soli palliativæ medelæ relinquendi: atque, si sanabiles adhuc sint, media postulant, partim ipsi morbo opposita, accedente simul Diæta congrua; partim contra causam, si persistens hæc atque remotu possibilis fuerit, directa; partim denique ad morbum forte conjunctum spectantia, quo et illius habeatur ratio (33-38).

Præmemorata hæc dicta generalia in sequentium morborum simplicium quorumlibet pertractatione supponuntur cognita: adeoque, loco verborum, præter generalia, *quæ alias apponi singulis vicibus debuissent, brevitatis gratia, solus §i numerus, quoties id opus est, citatur: id quod etiam de nonnullis aliis successive adhuc dandis, generalibus valet.* Notandum porro, quod *medicamenta contra simplices morbos singulos commendata in sequentibus, tantummodo ad ipsum spectent morbum; nec simul ad causam:* quod igitur *in quavis morbi simplicis medela subintelligantur verba,* præter causarum remotionem, *quæ iterum, sola brevitatis causa omissa, toties repetere non placuit:* quodque *de morbo forte adjuncto quolibet valeat idem.*

§. 47.

§. 47.

FIBRÆ *nimia tenuitas* sive *subtilitas*, quando videlicet fibra naturalem crassitiei gradum non obtinet: aut siccitatis nimiæ (49), aut extensionis violentæ (53) est consequens; ac præterea novis accrescentibus fibris, post præcedentium rupturam (56), familiaris observatur: fibram reddit plus justo irritabilem, atque debilem: unde et ejus talem non permittit motum, nec quoad magnitudinem, nec quoad diuturnitatem, qualem alias exserere illa potest atque debet. Pro causarum diversitate vel sanatur iisdem mediis, quibus aut siccitati aut extensioni violentæ obviam itur: vel medelam proprie nullam requirit, sed potius nutritionem solam, ad naturalem crassitiem usque continuandam.

Nec omnium humanorum corporum fibræ, nec ejusdem corporis fibrae omnes, teste experientia, eodem naturaliter gaudent subtilitatis gradu. Maxima potius in hac re observatur diversitas: adeo ut fibræ unius corporis, generatim sumptæ, magis quam alterius sint tenues; et in eodem corpore partis alicujus, e. g. Tendinis, fibræ majorem possideant subtilitatem, præ fibris alterius partis, e. g. Musculi. Unde sequitur: 1) ut fibrarum subtilitatis gradus in corpore A. gradum corpori B. consuetum superans, ast simul corpori A. solitus et naturalis, morbum non statim constituat: 2) ut gene-

generalis quidam et universalis subtilitatis gradus morbosus determinari nequeat; sed ut de fibrarum in corpore A. vel B. subtilitate naturali constare debeat ante, quam pro nimia declarari possit subtilitas: 3) ut hæc ultima, id est, subtilitas naturali major proprie ac tum demum adsit, quando in corpore, aut parte quadam, solitus in fibra gradus augetur, sic ut effectus supra descriptus sequatur: 4) ut in medendo eodem gradu nimio valeant adhuc, quæcunque præcedens §. 36. de habendo diversi personarum roboris respectu, in seligendis remediis, suadet. *Atque id*, mutatis mutandis, *de reliquis etiam simplicibus morbis tantum non omnibus sit dictum.*

§. 48.

Fibræ crassities nimia, quando ultra debitam proportionem fibra crassescit, præsens: vel supponit humiditatem fibræ justo majorem (50), vel structuræ factam mutationem, e. g. e tendinea in cartilagineam: tumorem proportionatum, id est, prominentiam quandam insolitam, facit propter majus, quam fibra nunc occupat, spatium; et exinde orientem proximæ fibræ extensionem, aut, pro situs diversitate, compressionem; sensibilitatem fibræ minuit; aut alia, pro partis, ad quam fibra pertinet, speciali functione, consectaria generat. In priori casu humoris superflui, exsiccantibus (14) promovendam, abla-

latio-

lationem ſuadet: in altero autem prorſus inſanabilis exiſtit.

Huc pertinet, exemplum ſtructuræ mutatæ proponens, Dan. Wilh. TRILLER. Diſſ. *de fame lethali ex calloſa oris ventriculi anguſtia.* Reſp. Joh. Ephraim Frid. *Bulifio.* Witt. 1750. cum annexo Georg. Aug. LANGGUTH. Progr. *de Tabe ſicca lethali ex calloſa pylori anguſtia.*

§. 49.

Fibræ ſiccitas nimia, quæ adeſt, quando liquidi, intra poros fibræ contenti, copia ſolita deficit: vel humorum defectum generalem (89) ſupponit; vel pororum in fibra anguſtiæ nimiæ, liquidum neceſſarium non admittenti, eſt tribuendum; vel calori ambienti fortiori, humidum diſſipanti, adſcribi poteſt: vel ſtructuræ mutationem, e. g. e cartilaginea in oſſeam, ſequitur. Particulas fibræ propius ad ſe invicem accedere facit: fibram reddit duriorem, vel etiam ſubtiliorem, juſto; inſimulque motus agilitati obeſt. Remedia poſtulat humectantia (14): ea vero, quæ a ſtructura mutata ortum traxit, extra medicinæ limites eſt conſtituta.

Vid. Ruttger. Gottlieb HOERNINGK Diſſ. *de Induratione partium præmatura.* Lipſ. 1750.

§. 50.

§. 50.

Fibræ humiditas nimia, ubi nimirum justo major humidi portio inter fibræ particulas intercedit: vel humorum in corpore abundantiam generalem (88); vel eorum in fibra copiam arguit insolitam, idque aut propter pororum amplitudinem, aut propter liquidorum ad alias partes accessum impeditum: fibram reddit solito molliorem, laxioremque, ordinarie et crassiorem nimis, atque hinc ejus motum et imbecilliorem et molestiorem; ejus quoque sensibilitatem minuit: remediis sanatur exsiccantibus (14).

§. 51.

Fibræ nimia durities, quando nempe fibra mollitie ea, qua in statu naturali est prædita, destituitur: aut nimiam fibræ siccitatem, et per consequens aliquando structuræ mutationem (49) supponit; aut effectus est tensionis nimiæ (53): motus agilitatem, et, in priori casu, adhuc sensum accuratiorem, pessundat: taliaque exposcit remedia, quæ emolliendi vi pollent, id est, relaxantia (11); structuræ interim mutatio medelam admittit nullam.

§. 52.

Fibræ nimia mollities, quando scilicet fibræ durities ad gradum naturalem debitum-

que non aſcendit: laxitatem nimiam (54) ſequitur, potiſſimum vero humiditatis ſuperfluæ (50), aut alius cujusdam præſentis morbi, et imprimis extrema mollities mortificationis (147), eſt conſectarium: fibræ ſenſum obtundit, eamque juſto imbecilliorem reddit, atque exercendo motus gradui debito ineptam: remedia poſtulat exſiccantia (14).

§. 53.

Fibræ nimia tenſio, quando videlicet hæc ultra gradum aſcendit naturalem: tenuitate, rigiditate et duritie inſolita, tactu quandoque obſervanda, atque ſenſibilitate nimia, dignoſcitur: violentam fibræ, a cauſa quadam, ratione totius corporis, vel externa vel interna, factam arguit extenſionem. In gradu mediocri conſtituta, motum fibræ reddit alacriorem: ac, ſi elaſtica hæcce ſit, ejus virtutem auget; aſt, fortior imprimis, motum brevi, is ſi continuetur aliquamdiu, dolorificum facit; qui dolor, ſi tenſio ulterius aſcendat, breviſſimo intervallo aut immediate ſequitur, gradui tenſionis ubique proportionatus, adeoque maximus, quando ad *punctum ruptionis uſque* pertingat fibræ extenſio: fibrae laxitati nimiae (54) tandem dat occaſionem. Aut relaxantia mitiora, aut anodina (11), pro diverſitate vehementiæ effectuum, poſtulat.

§. 54.

Vid. Georg. Erh. HAMBERGER. Diſſ. *de Rigiditate fibrarum.* Reſp. Joh. Gotl. *Hanſch.* Jen. 1750.

§. 54.

Fibræ nimia laxitas, quando nimirum infra gradum naturalem fibræ tenſio ſubſiſtit: mollitiem inſolitam, aliquando tactui patentem, et ſenſibilitatem juſto minorem ſecum ducit: robur fibræ, a quacunque cauſa, deſtructum, aliquando etiam humiditatem juſto majorem (50), ſupponit; nec raro prægreſſam ſequitur tenſionem nimiam (53): motum fibræ quemcunque, tonicum pariter ac elaſticum, nec adeo diuturnum nec adeo fortem, quam par eſt, permittit, ſed lentiorem potius atque debiliorem producit; ac propterea fluidorum in fibræ interſtitiis cumulum provocat; ſenſum quoque fibræ, ejuſque perceptionem, reddit obſcuriorem: et remedia poſcit roborantia (11.)

Vid. Laur. HEISTER. Diſſ. *de Debilitate fibrarum.* Reſp. Otto. Juſt. *Wreeden.* Helmſtad. 1728. Andr. El. BÜCHNER. Diſſ. *de Imbecillitate partium corporis ſolidarum, ab imminuta earum cohæſione pendente.* Reſp. Chriſtian. Lebrecht *Förſter.* Hal. 1749.

§. 55.

Fibræ cohæſio nimia cum vicina, quando nempe fibra propius ad vicinam accedit,

 quam

quam accedere debet, ac plus minus, aut penitus etiam, cum eadem coalescit: morbum constituit connatum; interdum vero et cohæsionem destructam (56) præcedentem sequitur: motui fibræ liberiori obest: et malum format, quoad partes corporis internas, insanabile.

§. 56.

Fibræ ruptio, sive cohæsio et nexus particularum inter se, aut cum vicina fibra, destructus, ubi nimirum vel particulæ fibram componentes, vel fibræ proxime vicinæ, a se invicem disjunguntur: nisi vitium fuerit connatum; prægressam supponit violentiam, sive ab extra advenientem, e. g. a remedio corrodente, veneno, aut alia qualibet re lædente: sive ab intra agentem, quo nomine extensio ad rupturam usque (53) a humore intus detento, variique morbi, contagia, (136) etc. accusandi. Motum fibræ, nec non ejus sensum, omnemque usum tollit; adhæc partes, quas fibra naturaliter obtegit absconditque, denudat (74); ac interdum eius nimiam cohæsionem (55) accidentaliter post se trahit: et quemadmodum morbus, si connascatur, quorumlibet medicamentorum internorum efficaciam eludit, sic tum quoque, quando violentia præcessit, solius viventis corporis virtute sanatur; interim balsamica (11) præ reliquis locum habent aliquem.

* Dan-

* Dantur, qui *consolidantibus interne assumptis* vel insignem tribuunt virtutem, vel saltem aliqualem. Docet vero chirurgia, consolidationem unice esse actum corporis vivi ipsius, et ne externa quidem consolidantia proprie hunc titulum mereri. Unde patet, interna, quo nomine, præter balsamica medicamenta, potissimum plantarum partes leniter adstringentes (12) veniunt, eo minus dictam virtutem possidere, cum, antequam ad locum affectum pertingant, corporis humoribus adeo commisceantur, ut parva, quae quavis vice cum ipsis fibrae ruptæ applicatur, portio magnitudini morbi proportionata esse ullatenus nequeat. Atque hinc simul elucet ratio, cur in interne in corpore sitis fibris atque partibus, morbus, si aliqualem tantummodo gradum nactus fuerit, ordinarie, aut facile saltem, immedicabilis fiat, quoniam scilicet chirurgiae, quae quippe sola huic morbo in partibus externis, suppetias fert, ad internas liber non patet aditus.

** In hoc, atque in sequentibus morbis quibuslibet, *causarum* adducitur *numerus* aliquis; non ea intentione, ac si necessario ad producendum morbum omnes conveniant; sed quod singulæ, seorsim spectatae, id efficere possint. Interim et plures haud raro conveniunt.

*** Vid. Andr. El. BÜCHNER. Diss. *de Imbecillitate partium ab imminuta earum cohæsione pendente.* Resp. Christian. Lebrecht *Förster.* Hal. 1749.

§. 57.

CANALIS *dilatatio nimia*, quando nempe majorem canalis obtinet diametrum, quam ipſi naturaliter competit; vel totum canalis tractum percurrit, aut ſaltem aliquam ejus portionem longiorem occupat; vel in ſpatio minori, adeoque brevior tantum, obſervatur: in ultimo ſpeciatim caſu loculum ſingularem, in loco dilatato, repræſentans: vel fibrarum, canalem formantium, laxitatem (54) habet pro fundamento; vel canalis a fluido in majori quantitate affluente (88) factam diſtenſionem nimiam arguit; vel ejusdem occluſionem (62) in portione vicina. Robur atque elaſticitatem canalis peſſundat, hinc motum fluidi, in eodem contenti, juſto reddit lentiorem, id quod iterum huius ſtaſin poſt ſe trahere poteſt; præterea et proxime affinium canalium, præprimis minorum, compreſſionem, adeoque anguſtiorem diametrum (58), producit; imo et, ultra gradum poſſibilitatis aucta, canalis rupturam (60) inducere poteſt. Remedia poſtulat adſtringentia (12).

Quicunque de canalibus adducuntur morbi, ad *omnis generis canales* ſpectant, ſive hi annumerentur vaſis ſanguiferis, et quae iisdem ſunt annexa; ſive ſint ductus ſe- et excretorii ſpeciales varii, et liquorum receptacula; ac denique *ad poros fibræ*, et quam-

quamlibet *aliam partem*, quae tanquam canalis considerari potest.

§. 58.

Canalis angustia nimia, quando videlicet canalis diameter justo est minor, sive in tota canalis, aut maioris eiusdem portionis, longitudine, sive in arctiori spatio. Vel canalis compressionem aliqualem a ligatura, tumore, canale vicino dilatato (57) aut alio quocunque corpore, extus accumbente, habet pro causa; vel fibrarum, canalem componentium, siccitatem nimiam (49), vel earundem constrictionem spasmodicam (139); vel membranarum, canalem formantium, incrassationem (48); vel humoris, canalem naturaliter distendentis, defectum (89): *mediate* quoque, sive accidentaliter, angustatur canalis quilibet, quando humor in eodem contentus, aut abundat nimis (88), aut spissior est, quam ut per canalem, imprimis minorem, transitum inveniat (98). Fluidi intra canalem circulantis transitum reddit molestum, atque sic eius stasi ansam praebet; praeterea, ut ipsius copiam solitam canalis non admittat, facit, et hinc, reliquo humore ad alia magis dissita loca delato, alii cujusdam canalis dilatationem nimiam, nec non congestiones (88), producit: atque causarum ablatione sanatur; quas inter, si insana-

bilis quædam occurrat, quemadmodum e. g. membranæ incraſſatæ reductio ad naturalem ſtatum eſt impoſſibilis, morbus quoque in tantum inſanabilis eſt pronuntiandus (38).

§. 59.

Canalis obſtructio dicitur, quando canalis cavitas obliteratur penitus, ſive id accidat in ſpatio minori aut majori, in canalis initio, aut medio, aut fine. Vel compreſſionem a corpore, extus appoſito, quocunque totalem arguit: vel obſtipationem, interne contingentem, a particulis aut humoribus craſſis; itemque a corpore ſolido quovis, intus hærente, immobili: vel coalitionem plenariam plus minus late ſeſe extendentem, ſive a membranis, eousque incraſſatis (48), ſive ab alia qualibet cauſa prægreſſa. Canalem in puncto obſtructo claudit, et fluido per locum eundem tranſitum penitus denegat: hinc hujus cumulo in proxime vicina portione, atque ſic mediate, portionis hujus dilatationi nimiæ (57), adeoque, pro canalium officio diverſo, vel congeſtioni humorum (88), vel eorundem in parte defectui (89), anſam præbet. Aperientia requirit remedia (12): cum vero medela in portionibus coalitis locum non amplius habeat, ea, quæ hinc oritur, obſtructio immedicabilis cenſenda eſt.

Aperien-

Aperientium praedictorum virtutem, in referando canali a particulis crassioribus, intus haerentibus, obstructo, multum adjuvant, dummodo canalis situs nimium absconditus usum non vetat, *discutientia* sive attenuantia externa, simul applicata, et in materia medica, ac in chirungicis, quaenam sint, descripta.

§. 60.

Canalis destructio sive ruptio, quæ exsurgit, quoties in membranis, canalem efformantibus, fibrarum cohæsio solvitur (56): vel partialis est, vel totalis; in priori casu quædam tantummodo fibræ, mox plures, mox pauciores, inveniuntur ruptæ; in posteriori, omnes disjunctæ supponuntur, aut secundum longitudinem canalis, aut secundum ejus latitudinem. Vel violentiam, fibris factam, externam arguit; vel maximam canalis, et ad rupturam usque continuatam, dilatationem (57). Humorum in canali contentorum effluxum, hinc eorundem, tam in genere, quam in specialibus receptaculis, copiam imminutam (89. 109) post se trahit. Balsamica admittit remedia (11), quæ tamen, absque virtutis corporis concursu, ipsa usum præstant nullum (56,*)

§. 61.

Canalis apertio inconsueta sive justo major, quando scilicet extremitas canalis ultra mo-

dum hiat: aliquando visui patens: canalis ibidem factam supponit dilatationem nimiam (57): effluxum humoris, in canali contenti et per eundem circulantis, nimium, atque hinc liquidorum in genere imminutam copiam (89), habet pedissequam: et, nisi fuerit nimia, remediis constringentibus (12) sanari se patitur.

§. 62.

Canalis occlusio insolita, quando nimirum canalis in fine non, uti debet naturaliter, est apertus: aut obstructionem canalis (59) in puncto hoc extremo habet pro basi; aut corpus quoddam, sive membranam, aperturæ accumbentem, eamque claudentem. Debitum liquidi contenti effluxum, aut, si principium canalis fuerit occlusum, humoris influxum, prohibet; hinc, ut, in priori casu, contra naturam accumuletur, atque canalem distendat (57); in altero autem, ut in canali deficiat, et hujus, non amplius utilis, cavitas tandem oblitereretur, efficit. Pro caussarum diversitate, vel medicamentis, obstructioni contrariis, id est, aperientibus (12) sanatur, vel insanabilis censenda venit.

§. 63.

Canalis nimia elasticitas, exinde dignoscenda, quando elastica canalis virtus, data

occa-

occaſione, promptius et vehementius juſto agit: nimiam fibrarum, qnæ compoſitionem membranarum canalis intrant, tenſionem (53) pro fundamento agnoſcit; aut fluidi, intra canalem contenti, elaſticitatem nimiam (100). Motum canalis, et conſequenter etiam humoris, in eodem contenti, promotionem, ac, pro re nata, effluxum, juſto velociorem reddit; tandemque canalis elaſticitatem deficientem inducit: et non niſi cauſam removendo, tollitur proprie; interim relaxantia (11) locum quoque habent.

§. 64.

Canalis elaſticitas deficiens pateſcit, quando virtus canalis elaſtica, occaſione data, in gradu minori, quam par eſt, apparet. Fibrarum, e quibus formantur canalis membranæ, nimiam arguit laxitatem (54): aliquando etiam prægreſſam, aut elaſticitatem canalis nimiam (63), aut ejus dilatationem (57), aut humorum in canali circulantium defectum (89), aut eorundem elaſticitatem juſto minorem (101) ſequitur. Motum canalis, hinc etiam fluidi, in eodem circulantis, reddit lentiorem; id quod hujus ultimi ſpiſſitudinem (90) poſt ſe trahere poteſt: et remedia poſtulat roborantia (11).

§. 65.

PARTIS *numerus auctus*, quando nimirum

rum pars quædam ex iis, quæ aliam generalem componunt, abundat; aut pars ſpecialis, quam naturaliter unicam habet corpus, duplex vel multiplex adeſt: non niſi connatum quid eſt, quoniam poſt nativitatem membra, aut partes integræ, non amplius accreſcunt. Motum atque uſum partis generalioris in priori caſu, et, in altero, ipſius partis duplicis, ordinarie penitus non, vel non admodum lædit: difformitatem vero, majorem vel minorem, pro diverſa magnitudine, ſitu, et figura partis ſuperfluæ, poſt ſe trahit, ſi ſcilicet in conſpectum ea veniat. Medela, ubi malum uſui partis non officit, nulla requiritur: nec in internis corporis regionibus, tactui non patentibus, eſt poſſibilis.

§. 66.

Numerus partium imminutus, quando ſcilicet pars quædam, ſive ſecundi, ſive tertii ordinis, deficit: niſi connatum fuerit malum, violentam exſtirpationem, aut morbum præpreſſum indicat: partis generalioris uſum, in quantum a parte deficiente dependet, tollit: et morbum format inſanabilem.

§. 67

Partis ſitus atque directio contranaturalis, quando nempe pars eundem, quem occupare debet, locum non occupat, vel in to-

totum vel pro parte ab eodem remota; aut, si occupet, ea, qua alias solet, directione non gaudet: nisi vitium constituat connatum præcedentem arguit violentiam, vel celerius agentem et cum impetu, vel non nisi successive partem extra limites consuetos prementem. Usum partis, pro gradu differentiæ situs aut directionis, vel impedit plus minus, vel sufflaminat in totum; pars quoque vi extra ordinem posita, comprimendo locos vicinos, eosdem lædere potest. Morbus inveteratus ordinarie medelam non admittit, a quacunque causa provenerit; nec in genere eandem postulat, si cum eodem, imprimis non adeo insigni, usus permanserit salvus; connatus quoque utplurimum est immedicabilis: ceteroquin medela in eo consistit, ut pars chirurgicis mediis ad situm atque directionem reducatur naturalem.

§. 68.

Volumen partis justo majus, quando videlicet magnitudo partis gradum naturalem superat: sive totam ea occupet partem, adeo ut hujus quantitas secundum omnes tres dimensiones nimium aucta reperiatur: sive illud in una tantummodo portione, id est, vel in extremitate partis, vel in medio, atque vel in longitudine, vel in profunditate sive crassitie, factum fuerit: aut connatum est malum,

im-

imprimis magnitudo aucta totalis; aut, quod in partiali potissimum observatur, alium habet morbum quendam pro, fundamento. Usum partis impeditum, pro circumstantiarum ratione, aliquando post se trahit. Medelam, si effectus iste prædictus non sequatur, haud exposcit; nec, si inveteratum fuerit vitium, admittit: quod vero a morbo quodam conjuncto, insimulque superabili, oritur volumen auctum, sponte, cum hoc ipso ablato, cadit.

§. 69.

Pars justo minor, id est, cui magnitudo naturalis deficit: cum præcedenti vitio, quoad differentias, causas, atque effectus, mutatis mutandis, coincidens: itidem medelam respuit omnem, si malum fuerit aut totale, aut connatum, aut inveteratum, aut a causa incurabili productum; alias morbi, cujus est effectus, sanatione debellatur.

§. 70.

Figura partis inconsueta, quando scilicet pars aliam, quam naturaliter habere debebat, conformationem externam præ se fert: vel connascitur; vel morbi cujusdam prægressi est residuum, plus minus inevitabile; vel violentiam perpessam arguit; vel a morbo adhuc præsente ortum trahit: usui partis aliquando obest: recens, a morbo quodam orta,

orta, interdum medelam admittit; reliquæ vero ſpecies, maximeque inveterata, mutationem ordinarie admittunt nullam.

§. 71.

Color partis inconſuetus, quando videlicet pars quædam alium, quam naturaliter habere debet, colorem præ ſe fert: niſi connatus fuerit; aut morbi alterius, ſive præteriti, ſive adhuc præſentis, conſectarium; aliquando ab impuritate, parti adhærente, ortum trahit: et in hoc ultimo caſu, itemque, quando morbi præſentis eſt effectus, eiusdem remotione facile tollitur; alias utplurimum immedicabilis.

Cutis color peregrinus aliquando e continua ejus cum certis vegetabilium ſuccis inunctione, unde color membranae reticularis tandem mutatur, originem habet: in quo caſu, ſi morbis fuerit recens, omittendo unctiones, ſponte tandem abit; ſin vero inveteratus, medelam admittit, ſaltem perfectam, nullam.

§. 72.

Partis nimia ſenſibilitas ſive irritabilitas in conſpectum venit, quando pars ab admotis irritantibus quibusvis lenioribus fortiter & ultra modum afficitur: fibrarum, partem componentium, vel ſubtilitatem nimiam (47),

vel

vel tenſionem iuſto maiorem (53) ſupponit: leviorem contactum, alias innoxium, reddit dolorificum; ac motibus nimiis, tumultuariisque, e leviori cauſa pronatis, nec non congeſtionibus (88), itemque liquorum particularium ſecretioni auctæ (108), anſam præbet: et cauſarum poſtulat remotionem.

Vid. Georg. Ern. STAHL. Diſſ. *de Teneris ægris.* Reſp. Rudolph. Gottlieb. *Rehfeldt* Hal. 1708.

§. 73.

Partis ſenſibilitas aut irritabilitas juſto minor patet, quando, poſt adhibita irritantia, impreſſio ac effectus, vel nullus, vel non niſi admodum debilis, obſervatur: fibrarum componentium probat vel craſſitiem ſolito majorem (48), vel humiditatem nimiam (50), vel duritiem naturali contrariam (51. 52), vel laxitatem inconſuetam (54): motui, præſertim tonico; nec non effectui neceſſario remediorum quorundam, imprimis externorum, obeſt: et cauſæ ablationem requirit.

* Senſibilitatem cum partes duriores, cartilago nimirum atque os, nullam poſſideant: quæcunque de irritabilitate vel nimia vel deficiente dicta proſtant, ut non niſi ad *molliores* ſpectent, et ex iisdem maxime ad eas, quæ *elaſticarum* quoque nomen gerunt, ſequitur.

** Vid. Georg. DETHARDING. Diss. *de Anæsthesia.* Resp. Georg. Bernh. *Quistorp.* Rost. 1718. Mich. ALBERTI. Diss. *de Insensibilitate personali.* Resp. Ferdin. *Schwab.* Hal. 1731.

§. 74.

Partis denudatio contranaturalis, quando nimirum pars quædam, quæ aliis naturaliter obtecta partibus, adeoque abscondita, esse debet, tegumentis suis ita destituitur, ut in conspectum prodeat: rarissime malum format connatum; ordinarie potius est consequens destructæ cohæsionis (56) in partibus, quæ denudatam naturaliter obtegunt. Aëri liberum ad partem ejusmodi nudam accessum permitit, unde hæc, pro varia sua conditione, diversam subit mutationem noxiam. Medela perficitur, quando in partibus obtegentibus fibrarum cohæsio restituitur: obtegendo interea temporis, palliative, denudatam partem appropriato quodam medio.

§. 75.

MUSCULI *nimia irritabilitas*. vel observatur in fibris carneis partium, quæ membranis gaudent musculosis; vel spectat ad musculos stricte dictos: irritationem prægressam, eamque reiteratam, aut externam aut internam, sequitur; vel alium quendam morbum habet pro basi: motum inducit soli-

to majorem, facile in involuntarium ſive convulſiones (140) tranſeuntem: remedia poſtulat anodina.

§. 76.

VASORUM SANGVIFERORUM *dilatatio nimia* (57), vel in toto ſyſtemate, adeoque in univerſo corpore, ſimul contingit, vel in vaſis quibusdam, ſive in una corporis parte, eaque aut majori aut minori tantum: ſanguinis nimiam ſequitur quantitatem, unde diſtenduntur vaſa ſanguinem vehentia, eamque vel generalem vel partialem (96): vaſorum lymphaticorum atque ſeroſorum nimiam dilatationem, reliquarum vero fibrarum aut partium vicinarum compreſſionem, poſt ſe trahit: et cauſarum remotione ſanatur.

Eorundem e contrario *nimia anguſtia*, itidem vel omnibus communis, vel aliquibus tantum: aliquando, præter generalia (58), ſanguinis defectum, vel totalem, vel in ſpeciali parte contingentem (97) arguit et: præterquam quod, ſi univerſalis fuerit, vaſorum quoque ſecundi atque tertii ordinis collapſum habeat ſequentem; congeſtionibus anſam dat, ſi pars corporis unica ſolummodo ægrotet: et ſanguinem deficientem reſtaurando, evaneſcit. Aliquando vero et *mediate* vaſa ſanguifera anguſtantur: quod fit, quando vel major ſanguinis quantitas adeſt,

quam

quam proportio cum vaſis ſanguiferis perfert; vel ſanguis, per ſe non abundans, propter elaterem acquiſitum majorem ſolito (100), majus ſpatium affectat. Atque hæc mediate producta anguſtia in prædictam majorem dilatationem, quæ ſcilicet neceſſario ſequitur, tranſit.

§. 77.

Vaſorum ſanguiferorum elaſticitas nimia (63) vel totalis eſt; vel in nonnullis tantummodo vaſis, adeoque in unica parte, contingit: aut ſanguinis præcedentem nimiam elaſticitatem (100) habet pro fundamento, aut eandem poſt ſe trahit: vaſorum, et per conſequens etiam ſanguinis, motum proportionate majorem producit; unde iterum vaſorum dilatatio major (76), ipſa tandem elaſticitas deficiens, aliaque conſectaria fluunt: et cauſarum imprimis remotionem expoſcit.

Eorundem elaſticitas deficiens (64), quæ ipſa aut univerſum ſyſtema, aut quædam in ſpecie vaſa, vexat: interdum ex elaſticitatis ſanguinis defectu (101) nata: motum vaſorum et ſanguinis, hinc quoque calorem corporis aut partis, imminutum, nec non ſecretiones deficientes, poſt ſe trahit; itemque ſanguinis elaſticitatem, niſi hæc jam adſit imminuta, debilitat: et roborantia poſtulat remedia (11).

§. 78.

VASORUM LYMPHATICORUM *nimia dilatatio* (57) præcedentem vaſorum ſanguiferorum dilatationem nimiam (76) ſupponit: ſanguinem intrantem admittit; vaſorum tertii generis dilatationem nimiam poſt ſe trahere poteſt: et adſtringentibus (12) ſanatur.

Eorundem anguſtia nimia (58), præter generalia, aliquando, pro diverſa vaſorum natura, vel ſubſiſtentiam particularum craſſiorum, quæ eousque penetrarunt, vel canalis compreſſionem arguit: atque humorum vel ad tertii generis vaſa tranſitum, vel reditum liberum in ſanguinem impedit: et aperientia (12) poſtulat.

§. 79.

VASORUM SEROSORUM *dilatatio nimia* (57), dilatationis nimiæ vaſorum ſecundi ordinis (78) conſectarium: ſanguinem et lympham intrare, imo et, pro dilatationis magnitudine atque ſitu, vel in ſubtiliores adhuc, ſi qui dantur, canales penetrare, vel foras e corpore aut parte exire, vel in cavitatem quandam influere; adeoque ſecretiones liquorum particularium augeri (108), permittit: et conſtringentibus medicamentis (12) eſt debellanda.

Eorun-

Eorundem angustia nimia (58) aliquando constrictionem spasmodicam (139) habet pro fundamento. vel secretionem, aut minuit, aut penitus sufflaminat, ad tempus saltem: sicque tenuiorum in corpore humorum abundatiam post se trahit (91); vel propter refluxum denegatum, secretionis augmentum, adeoque contrarium, efficit: et causarum remotionem suadet.

Eorundem elasticitas nimia (63) humorum subtilissimorum auget motum, adeoque secretiones producere abundantiores potest; et e contrario *defectus elasticitatis* (64) motus eorundem humorum, ac per consequens, pro vasorum actione diversa, vel secretionum, vel resorbitionis, imminutionem, eorumque consectaria (108. 109), post se trahit. Priorem morbum relaxantibus (11), alterum irritantibus (11, **) aggredi oportet.

§. 80.

ARTERIÆ *dilatatio nimia* (76), partialis, pro natura arteriæ diversa, vel sanguinis, vel lymphæ, vel seri, in vicino loco quodam denegatum circulum liberum indicat; et potissimum ipsius arteriæ in puncto aliquo obstructionem (59). Totalis si fuerit, in *sanguifera* arteria, sanguinis arteriosi elasticitatem nimiam (100) arguit: elasticam arteriæ vim tandem debilitat; humori crassiori

in arterias minores, eidem naturaliter impermeabiles, aditum permittit, adeoque ſanguinem in arterias *lymphaticas*, nec non ſeroſas; lympham in arterias *ſeroſas*, intrare; atque ſic, pro ſitus diverſitate, omnes hoſce liquores vel extra corpus tandem prorumpere, vel in cavitatem quandam ſpecialem influere, facit; in arteriis in ſpecie *ſeroſis*, ſecretiones diverſimode alterat: iisdemque mediis ſanatur, quæ contra dilatationem canalium in genere faciunt.

Ejusdem anguſtia nimia (76), in *majoribus* vaſis, ſanguinis et reliquorum humorum in partem corporis, ad quam Arteria pertinet, influxum, pro vario anguſtiæ gradu, imminuit, ac in *obſtructione* (59) penitus tollit; hinc etiam, quoad *ſanguiferam Arteriam*, et nutritionis et ſenſus et motus in parte affecta decrementum aut ſublatio ſuccedit, ipſaque partis vita periclitatur; in *lymphatica* atque *ſeroſa arteria* e contrario, nutritionis atque ſecretionis defectum inducit. In *minimis* arteriolis, cujuscunque ordinis, *obſtructio* pro baſi ſæpiſſime habet particulas craſſiores, propter volumen majus plenarium tranſitum, atque ſic ex altera apertura egreſſum, non invenientes, ſed ſubſiſtentes potius, et inflammationum diverſarum (142) fundamentum conſtituentes.

§. 81.

§. 81.

Arteriæ ſanguiferæ ruptio, ſive deſtructio, (60) profuſionem ſanguinis arterioſi, id eſt, floridi, fluidioris, a corde ad partes influentis, nunc cum ſaltu prorumpentis continuo, inducit: mortem tandem infert neceſſario ſubſequentem, ſi *majori* arteriæ id accidat; in *minoribus* vel ſponte tandem hæmorrhagia ceſſat; vel, pro ſitus diverſitate, ſanguinis in cavitate majori aut minori collectio, ſive extravaſatio, ſequitur. Adſtringentia poſtulat remedia; quæ tamen, ceu inſufficientia in majoribus arteriis, effectu longe ſunt poſtponenda mediis chirurgicis, dummodo hæc propter ſitum arteriæ deſtructæ, applicari queant: extravaſatio quoque eadem media, id eſt, chirurgica, ſuadet.

Arteriæ lymphaticæ, atque *ſeroſæ,* deſtructio, ſecundum ſitus varietatem, aut lymphæ aut ſeri effluxum poſt ſe trahit, ſive cuticulam inter et cutim, unde prior elevata et a cute ſeparata, majorem vel minorem puſtulam ſiſtit, humore lymphatico plenam; ſive in aliam quandam cavitatem humorum influere facit. Medela, quoad arteriam, nulla indiget, quoniam ſponte tandem hæc vaſa, adeo parva, ſanantur: quoad effectum vero, eadem eſt illa, quam in mox præcedenti arteria ſanguifera.

§. 82.

VENÆ *dilatatio nimia* (76) prægressam, si systema venosum totum laboret, arteriæ nimiam dilatationem arguit, a majori humorum copia (80); sin partialis fuerit morbus, venæ cujusdam alterius, imprimis majoris, compressionem aliqualem manifestat; venæ elasticitatem minuit: et causæ ablationem postulat.

Ejusdem compressio (58), aliqualis, pro venæ, aut ad primum, aut ad secundum, aut ad tertium genus relationem, vel sanguinis, vel lymphæ, vel seri, refluxum impedit, adeoque solito reddit lentiorem: totalis, itemque *obstructio* (59), eorundem humorum reditum, in quantum a vena morbosa dependet, penitus tollit, hinc liquorum particularium abundantiori collectioni (108) ansam præbet: reliqua cum generalibus coincidunt.

§. 83.

Venæ sanguiferæ destructio, sive ruptio, (60) effluxum sanguinis venosi, id est, nigricantis, spissioris, e partibus corporis ad cor refluentis, nunc cum saltu, vel nullo, vel post brevissimum temporis spatium cessante, prorumpentis, producit: in reliquis cum arteria sanguifera destructa (81) coincidens.

Venæ lymphaticæ destructio, pari modo, ac arteria congener (81), lymphæ effluxum, et

et ſub cuticula, aut in cavitate quadam ſpeciali, collectionem producere valet: quod idem, id eſt effluxus, ac, pro circumſtantiarum diverſitate, collectio adhuc, humoris ſeroſi, et *Venæ ſeroſæ deſtructionem* ſequitur.

§. 84.

NERVI *anguſtia nimia*, (58) aliquando ſubtiliſſimorum, e quibus componitur nervus, canaliculorum compreſſionem a vicinis vaſis ſanguiferis dilatatis (76) habet pro fundamento: influxum liquidi nervei, hinc uſum nervi, et per conſequens etiam motum ſenſumque partis, ad quam nervus pertinet, debilitat; quem ipſum influxum, reliquaque inde provenientia commoda, nervi *obſtructio* (59), itemque ejus *deſtructio* (60), penitus tollunt. Reliqua omnia cum generalibus conveniunt.

Vid. Andr. El. BÜCHNER, Diſſ. *de Atonia Nervorum, morbisque inde oriundis.* Reſp. Joh. Chriſtoph *de Steinen*, Hal. 1749.

§. 85.

OSSIS *durities ſive rigiditas nimia* (51) nutrimentum pravum, ſcorbutico contagio (136) infectum, aliquando magnam congelationem, habet pro fundamento: fracturæ oſſium, præcipue cylindraceorum majo-

rum,

rum, ægro incaute artus movente, occasionem præbet: et removendo causam sanatur.

Ejusdem mollities insueta, (52) a contagio venereo (168) in corpore latente oritur; nisi post prægressam ossis fracturam, sive destructam cohæsionem (56), callo recenti, et nondum sufficienter indurato, sit adscribenda: membrum sive partem, ad quam os pertinet, robore naturali orbat; ac in pede speciatim insolitam in incedendo flexionem gignit, adeoque fulcimentum consuetum trunco adimit; qui ultimus etiam effectus oritur, si *spina dorsi* malo hoc laboret; ac, si incautius rem suam æger aggrediatur, ossis destructam cohæsionem post se trahere potest: et, una cum palliativis adminiculis suffulcientibus, contagii eliminationem postulat.

Ossium *rigiditatis* notabile exemplum tradit Joh. PALFYN. Libr. *de ossibus* Sect. I. Cap. 3. pag. m. 43 sq. Ossa adeo mollia, ut ceræ instar flecti se paterentur, absque ægroti incommodo, tradunt E. N. C. Dec. II. Ann. VII. Obs. CCXII. et Obs. CCXXXV. ubi alii simul autores varii, similia narrantes, adducuntur; itemque Dec. III. Ann. II. Obs. III.

§. 86.

VISCERIS *cujusdam*, sive id pertineat ad caput, sive ad thoracem, sive ad ventrem infi-

infimum, *numerus* auctus (65), in quamplurimis solam pro basi agnoscens subdivisionem notabiliorem; itemque *situs ac directio contranaturales*, aliquando obvenientes (67): præter generalia, hic etiam applicanda, ordinarie nec mali quid ominantur, nec medelam admittunt. Quocum, quoad prognosin atque medelam, coincidit ejusdem *connexio* cum vicinis partibus *nimia*; ipsaque in specie *pulmonis cum pleura coalescentia*, cujus causam nonnulli autores prægressum in ambabus partibus morbum inflammatorium (143) faciunt.

* *Pulmonis ad Pleuram adhærescentia* morbum format, nec dignoscendum durante vita, nec sanabilem, nec adeo, uti autores volunt, respirationi nocentem. Vid. Joh. Fried. CRELLII Diss. *de viscerum nexibus insolitis*. Resp. Joh. Frid. *Pinkert*. Helmst. 1743.

** *De crepatura viscerum* peculiari Diss. agit Joh. Hadrian. SLEVOGT. Resp. Marc. Henr. *Dencker*. Jen. 1699.

*** *Pinguedo* atque *Medulla* dupliciter considerari possunt: vel tanquam massa unica, sicque morbi earundem simplices haud alii sunt, quam morbi partium superius pertractati; vel quatenus maximam partem e succo constant oleoso, et, hoc respectu, morbi, ipsis contingentes, locum habent inter ægritudines humorum mox com-

commemorandas, *Tegumentorum*, cum annexis *Unguibus* et *Pilis*, *Ossiumque* morbi simplices reliqui, nec non *Dentium* mala, quoniam ad externos pertinent morbos, in libris chirurgicis explicantur. Vid. interim. Joh. Henr. SCHULZ. Diss. *de Cutis exterioris morbis.* Resp. Christian. Bernh. *von Sanden.* Hal. 1740. Jacob. WOLFF. Diss. *de Obesitate exsuperante.* Resp. Carol. Christian. *Leissner.* Jen. 1683. Joh. Ernest. SCHAPER. Diss. *de Obesitate nimia.* Resp. Ernest. Henr. *Fecht.* Rost. 1701.



SECT. II.

SECTIO II.

MORBI SIMPLICES PARTIVM FLVIDARVM.

§. 87.

FLUIDARUM CORPORIS PARTIUM diverſas dari ſpecies, ex iisque eſſe *chylum* atque *ſanguinem* principaliores, *reliquas* vero omnes minus principales, docet Anatomia. In ſingulis *quantitas* atque *qualitas* diverſa ratione peccare poſſunt, unde totidem exſurgunt morbi humorum ſimplices: qui vel generatim omnibus hiſce ſunt iidem, vel in fluidis ſpecialibus, propter peculiarem circumſtantiam quandam, ſingularem merentur contemplationem (44. ſch.).

Vid. Georg. Wolfg. WEDEL. Diſſ. *de vitiis humorum morbificis*, Reſp. Mart. *Lüder*. Jen. 1684.

§. 88.

HUMORUM *abundantia*, quando ſcilicet eorundem major in corpore, aut partibus, adeſt quantitas, quam adeſſe debet: vel generalis eſt ſive totalis, humoribus in univerſo corpore, adeoque ubivis, abundanti-

dantibus; vel partialis, ſive localis, quando nimirum ejusmodi quid in unica tantummodo corporis parte occurrit, atque tunc morbus *congeſtionis* vocabulo exprimitur. Variis ſuis effectibus, et, ſub certa conditione, viſui quoque, pateſcit. *Totalis* vel chyli abundantiam (93), inſimulque ordinarie ſedentarium vitæ genus, aut alio modo otioſum, habet pro fundamento; vel vaſorum, maximeque ſecretoriorum, elaſticitatem deficientem (79), unde ſuperflui humores non rite per corporis emunctoria varia educuntur, ſed potius illorum quantitas juſto major colligitur: *partialis* aut irritationem ſpecialem in loco affecto (72) arguit; aut canalium in parte remotiori anguſtiam nimiam (58), atque inde provenientem fluidorum in eadem circulum impeditum. Fibris, adeoque et partibus ſingulis, præſertim tamen mollibus quibuslibet, humiditatem, mollitiem, et laxitatem juſto majorem conciliat (50.52.54): canales ultra modum diſtendit (57), eosdemque propter quantitatem ſuperfluam mediate anguſtat; humorum ſpiſſitudini anſam præbet: *totalis* ſecretionum ſingularum augumentum (108); *partialis*, humorum in locis remotioribus defectum (89), poſt ſe trahit; hæc ultima adhuc fibrarum canalis diſtenſionem ad dolorem usque (138) auget. Præter cauſarum remotionem, victum poſtulat parciorem, dia-

diætamque laborioſam; atque medicamenta evacuantia omnis generis, præprimis tamen ſudorifera et diuretica, itemque laxantia(15), admittit.

Vid. Andr. El. BÜCHNER. Diſſ. *de congeſtionum natura, cauſis et effectibus.* Reſp. Carol. Frider. *Frombold.* Hal. 1749.

§. 89.

Humorum defectus, quando nimirum quantitas fluidorum debita non adeſt, ſed potius copia juſto minor canales, ceteraque receptacula, inhabitat: vel in toto corpore obſervatur, adeoque eſt generalis; vel in una alterave parte tantummodo obvenit: per effectus, aliquando et viſui, patens. *Totalis* pro cauſa habet, aut defectum chyli (94), aut ſecretionem quandam ultra modum auctam, aut morbos magnos prægreſſos: *partialis* e canalium advehentium obſtructione, aut deſtructione, aut apertione majori (59-61), itemque ex congeſtione humorum (88) in parte maxime remota quadam, oriri poteſt. Fibram reddit juſto ſicciorem (49): canalium poſt ſe trahit collapſum ſive anguſtiam, atque elaſticitatis defectum (58. 64): uſu, quem humores, pro ſingulorum conditione, præſtant, corpus privat, hinc hujus vel partium incrementum, uſum, motum, robur, impedit: ſecretiones alias imminuit, alias peni-

penitus tollit. Et cauſarum remotionem poſtulat: ille vero, qui morbos magnos ſequitur, nutritione pleniori reſarcitur,

§. 90.

Humorum ſpiſſitudo ſive cohæſio aucta, quando ſcilicet fluida corporis juſto craſſiora deprehenduntur: vel defectum ſeri tenuioris (107) ſupponit; vel contagium quoddam, ſive virus peregrinum, ab extra adveniens, coagulans (136); vel canalium elaſticitatem, hinc et motum, deficientem (64); vel chyli, propter abuſum alimentorum incraſſantium, et medicamentorum ejusdem generis, ſpiſſitudinem (95); vel nudam humorum abundantiam (88), et exinde pendentem motum imminutum. Circulationi fluidorum maximum affert impedimentum; ſtaſes adducit in minimis meatibus, quos mediate anguſtat (58); ſecretionum præterea, hinc et humorum particularium, præprimis tenuiorum, defectum (109): et attenuantia medicamenta (14) poſtulat.

Vid. Joh. Erneſt. SCHAPER. Diſſ. *de Viſcido, ſanitatis offendiculo.* Reſp. Joh. Chriſtoph. *Gottwald.* Roſt. 1695. Brand. MEIBOM. Diſſ. *de morbis ex viſcido oriundis.* Reſpond. Joh. Leonh. *Henrici.* Helmſt. 1737. Andr. El. BÜCHNER. Diſſ. *de cauſis et effectibus humorum viſcidorum.* Reſp. Joh. Godofr. *Gallesky.* Hal. 1750.

§. 91.

§. 91.

Humorum tenuitas justo major, sive cohaesio imminuta, quando nempe isti eum consistentiae gradum, qui ipsis naturaliter competit, non habent: pro causa agnoscit vel seri tenuioris abundantiam (106); vel contagium quoddam resolvens (136); vel alimentorum ac medicamentorum attenuantium abusum, atque hinc pendentem chyli tenuitatem majorem (95); vel vasorum secernentium obstructionem (79). Elasticitatem, adeoque et motum humorum, insimulque totius corporis, debilitat; humorum a se invicem secessui, et, ex hoc fundamento, minimorum canalium obstipationi (59), ansam dat; secretiones liquidorum tenuiorum auget: et incrassantia sive coagulantia remedia (14) suadet.

Vid. Georg. Gottlob. RICHTER. Diss. *de Tenuitate humorum temere laudata.* Resp. Eduard. Jacob. *Lupin.* Götting. 1750.

§. 92.

Humorum acrimonia, quando scilicet humores acriores deprehenduntur, *salsi* ultra modum, *acidi*, *alcalici*: aliquando ab ipso aegroto gustu, quem in ore sentit, percipitur: vel medicamentorum aut alimentorum, quae ejusmodi quid efficere possunt, usum,

atque ſic chylum contra naturam acrem (95), habet pro baſi; vel contagium forte, aut fermentum quoddam, fluidis communicatum. Irritationem in partibus, quas iſti humores proxime attingunt, producere poteſt: horumque aut ſpiſſitudinem, aut tenuitatem nimiam, et per conſequens ſtaſin in canalibus minoribus; aliquando et inſequentem corruptionem. Cauſæ remotionem poſcit, et alimenta bonæ notæ: quibus peractis humores alterati ſponte per varia corporis emunctoria avocantur, ſuccedentibus in eorundem locum blandioribus.

Vid. Joh. Gerard. TRUMMER. Diſſ. *de fluidorum corporis humani acrimonia, ejus ſpeciebus ac effectibus.* Hal. 1749.

§. 93.

CHYLI *abundantia* quando videlicet major ejus portio perficitur, et ſanguini commiscetur, quam ad nutriendum corpus eſt neceſſe: diætam ſupponit lautiorem, taliumque imprimis alimentorum, quæ et facile concoquuntur, et ſucci laudabilioris plena ſunt, aſſumptionem copioſam; humorum abundantiam (88), nec non plethoram generalem (96) infert: atque cauſæ remotione ſanatur ſola.

§. 94.

Chyli defectus, quando nemque ejus portio

tio, ſanguificationi et nutritioni ſufficiens, corpori non communicatur: aut defectum alimentorum ſupponit; aut appetitum deficientem (230); aut chyli impedimentum intrandi in vaſa lactea, idque vel vitio ipſius chyli, ſpiſſitudinem contranaturalem, (95) obtinentis, vel vaſorum lacteorum, propter obſtructionem aliamve cauſam, culpa (59), vel inteſtinorum, propter irritabilitatem nimiam (72) chymo neceſſariam remoram denegantium, vitio: humorum, præprimis vero ſanguinis, defectum inducit (89. 97); et cauſarum poſtulat ablationem.

§. 95.

Chyli conſiſtentia contra naturalis, quando ſcilicet chylus juſto eſt vel ſpiſſior, vel tenuior; vel acredine, aciditate, ſalſedine, etc. infectus. Aut alimenta, nec non medicamenta, in copia majori aſſumpta, incraſſantia, attenuantia, itemque nimio acore, aciditate, ſalſugine depravata, habet pro baſi: aut contagium quoddam, ſive coagulans, ſive attenuans (136), ad primas vias delatum, ibidemque chylo admixtum. Sanguini reliquisque humoribus eundem imprimit characterem (90. 91. 92); in ſpecie ſpiſſitudo chyli, ipſius defectum (94) in corpore poſt ſe trahere poteſt: et cauſarum remotione tollitur.

 §. 96.

§. 96.

SANGVINIS *abundantia*, quæ et *Plethora* dicitur, quando nimirum major ſanguinis in vaſis ſanguiferis adeſt copia, quam proportio inter vaſa eadem ſanguinemque requirit: vel in toto obſervatur corpore, atque tunc *Plethoram* format *generalem*; vel in una tantummodo corporis parte occurrit, *Plethora ſpecialis*, nec non *congeſtio ſanguinis*, appellata. Prior vel chyli abundantiam (93) pro cauſa agnoſcit; vel ſanguinis evacuationes naturales ceſſantes vel emanentes (171), artificiales vero neglectas: *ſpecialis* ex iisdem generatur fontibus, quæ congeſtionem producunt (88). Vaſa ſanguifera proportionate diſtendit, atque hinc habitum corporis totius, faciei imprimis, ſiſtit floridum, et venas cutaneas tumentes; eo ipſo vero tandem et vaſorum elaſticitatem minuit, ac fibrarum robur generatim infringit, adeo ut a mediocri frigore aut æſtu perceptio incommoda ſentiatur: præterea motum partium ſolidarum reddit difficiliorem, unde et membrorum laſſitudinem inducit, obdormitionem, repentinam ſub qualicunque corporis motu defatigationem, cum ſudoribus frequentibus, reſpirationem laborioſam et anxiam, imprimis durante ſcalarum aſcenſu: ſanguis adhæc, abundantia iſta, ſui ipſius motum, tam inteſtinum quam localem retardat, unde non

modo

modo vertiginoſus accedit capitis ſenſus, quando illud, prius terram verſus inclinatum, derepente attollitur in altum; et ſomnus adeſt, vel profundus, vel inquietus, anxiisque inſomniis perturbatus; ſed etiam ſtaſi ſanguinis in capillaribus vaſis, et, quae hinc oriuntur, conſectariis, praeprimis inflammationi ſanguineae (143), ac, pro circumſtantiarum diverſitate, haemorrhagiis (170), ut et liquorum particularium ſecretionibus copioſis; nec non, in *congeſtione ſanguinea*, propter fibrarum, e quibus vaſa commponuntur, tenſionem nimiam dolori (138), variisque aliis morbis, praeſertim ſpasmodicis, anſa ſubminiſtratur. Medela in eo conſiſtit, ut ſanguinis copia imminuatur, id quod lentius perficitur nutritione parciori, citius vero depletionibus artificialibus, chirurgiae ope adminiſtrandis.

* *Plethoram ad vaſa* antiquiores appellant, quando vaſa ſanguifera a copioſo ſanpuine ſimpliciter repleta turgent: ſive plethoram ipſam. *Plethora* autem *ad vires* ipſis dicitur, quando ſimul accedit membrorum laſſitudo ac torpor inſignis: i. e. plethora cum ſpiſſitudine (98) conjuncta.

** Vid. HOFFMANN. Diſſ. *de Plethora, inſufficiente morborum cauſa*. Reſp. Eſaia. Phil. *Hübner*. Hal. 1713. Eman. Chriſtian. LÖBER. Diſſ. *ſiſtens Plethorae naturam, ortum atque effectus*. Reſp. Chriſtian. Frid. *Löber*. Hal. 1728. Paul. Herm. JUCH. Diſſ. *de vitio abun-*

dantiæ ſanguinis, morbisque exinde prognatis. Reſp. Ludov. Auguſt. *Held.* Erford. 1737. Simon. Paul. HILSCHER. Diſſ. *de Plethora, multorum morborum ac ſymptomatum cauſa.* Reſp. Joh. Samuel. *Schuhmann.* Jen. 1743. Andr. El. BÛCHNER. Diſſ. *de genuinis Plethoræ effectibus in corpus humanum.* Reſpond. Maurit. Ludov. *Beus.* Hal. 1747. Ej. Diſſ. *de Plethora ſenum, ejusque rationali Therapeutica tractatione, per Venæſectionem ſpeciatim ſuſcipienda.* Reſp. Gottlieb Ernſt *Gorn* Hal. 1750. Abr. VATER. Diſſ. *de cauſis et effectis Plethoræ.* Reſp. Chriſtian. *Paecken.* Wittenb. 1751. etc.

*** *De ſanguinis pravitate*, vid. Diſſert. Aug. Quir. RIVIN. in Ej. *Diſs. Med.* Diſſ. XXVII.

§. 97.

Sanguinis defectus, quando videlicet tanta ſanguinis non adeſt copia, quanta ad rite implenda vaſa requiritur: vel defectum chyli (94) habet pro fundamento, vel hæmorrhagias nimias (170): vaſorum ſanguiferorum poſt ſe trahit collapſum, unde et corporis, ac præſertim faciei, color juſto fit pallidior, et venarum, imprimis cutanearum, altitudo conſueta deficit; præterea partibus quibusvis nutrimentum debitum ac robur detrahit, unde hæ ad motum et officia obeunda fiunt incapaces; *totalis* præterea, mortem affert indubiam. Morbus laudabilem chylum ſuppedi-

peditantibus alimentis, facile concoctibilibus ac bonae notae, sanandus est.

Vid. Mich. ALBERTI Diss. *de Anaemia.* Resp. Joh. Conr. *Daumio.* Hal. 1732.

§. 98.

Sanguinis spissitudo, aliquando in sanguine, e vena per venaesectionem emissa, visu dignoscenda: vel chyli spissitudinem habet pro fundamento (95); vel cruoris, aut seri defectum (103-107); vel mucosae partis abundantiam (104). Motui sanguinis, hinc et partium corporis, alacriori officit, ac in partibus imprimis lassitudinem insignem et quasi torporem, producit: praeteraque vasa primi ordinis minima mediate angustat (58), hinc stasi sanguinis in extremis capillaribus sanguiferis ansam praebet: et attenuantibus (14) debellatur.

Vid. Ernest. Anton. NICOLAI Diss. *de Spissitudine sanguinis.* Resp. Joh. Christian. *Kerstens.* Hal. 1749.

§. 99.

Sanguinis tenuitas nimia, vel chyli justo tenuioris (95) est consequens, vel muci in sanguine defectum (105), vel serum abundans (106) arguit: elasticitatem atque motum sanguinis ejusque vasorum minuit;

 parti-

particularum, ſanguinem componentium, a ſe invicem ſeceſſui, hinc minimarum arteriolarum obſtructioni (80), occaſionem ſubminiſtrat: et alimenta atque medicamenta incraſſandi vi pollentia (14) requirit.

* *Maxima ſanguinis tenuitas* adeſt, quando iſte penitus reſolvitur atque in putredinem ruit, id quod ejus motum plenarie ceſſantem inducit aut potius ſupponit, atque in corpore aut parte, durante vita, locum proprie non habet, ſed ejus, aut partis, in qua contingit, mortem, niſi jam adſit, breviſſimo intervallo poſt ſe trahit, nullum medelæ ulli ſpatium relinquens.

** Vid. Andr. El. Bûchner. Diſſ. *de ſanguinis fluiditate nimia.* Reſp. Joh. Martin. *Wolfarth.* Hal. 1749.

§. 100.

Sanguinis elaſticitas juſto major, pateſcens, quando elaſticam ſuam virtutem promptius fortiusque, quam alias, exſerit ſanguis: vel præcedentem vaſorum ſanguiferorum elaſticitatem, majorem (77) indicat, vel cruoris abundantiam (102), vel alimentorum calidorum aut remediorum calefacientium (13), imprimis ſpirituoſorum, abuſum; vel prægreſſum corporis motum vehementiorem, frictiones, balnea calida, aërem calidiorem, et quæ præterea calefaciendi effectum relinquunt; vel animi affectus fortiores, ut-

pote

pote iram, terrores. Aërem internum expandit, hinc motum ſanguinis, et conſequenter etiam vaſorum ſanguiferorum, niſi in his ultimis jam adfuerit ex alia quadam cauſa natus, accelerat; vaſorum eorundem dilatationi, et quæ exinde fluunt, conſectariis (80. 82) occaſionem præbet: totius corporis calorem intendit; ſecretiones (108), imprimis vel urinam vel ſudorem, auget: et refrigerantia (13) poſtulat medicamenta.

§. 101.

Sanguinis elaſticitas juſto minor, quando hæc in eo, quo debebat, gradu non exſeritur manifeſta: vel vaſorum ſanguiferorum elaſticitatem deficientem (77) arguit, vel cruoris copiam imminutam (103), vel ſeroſæ portionis abundantiam (106), vel alimentorum aut medicamentorum refrigerantium (13) abuſum, vel ſanguinis a perpeſſo frigore immoderato condenſationem. Aërem internum denſiorem reddendo, ſanguinis motum, et, qui ab eo dependet, partium motum, nec non calorem corporis, minuit; ſecretiones reddit parciores: et calefacientia remedia (13) ſuadet.

§. 102.

CRUORIS *in ſanguine abundantia*, quando nimirum ultra decimam totius partem,

tem, quæ pro naturali ordinarie aſſumitur copia, aſcendit: habitum corporis externum, præſertim faciei, reddit floridum, ſine tamen vaſorum ſanguiferorum notabili turgeſcentia: alimentorum pinguium, ac medicamentorum calefacientium (13), abuſum ſequitur. Majorem ſanguini communicat, conſequenter et vaſis, ac præcipue arteriis, elaſticitatem (100) atque motum; prætereaque æſtum in corpore majorem producit. Cauſarum remotione ſanatur.

§. 103.

Cruoris in ſanguine defectus, quando ejus copia decimam totius ſanguinis partem non attingit, præſens: habitum corporis, præprimis vultum, reddit pallidum, absque tamen vaſorum ſanguiferorum collapſu: vel abſtinentiam ab omnibus alimentis ac medicamentis calefacientibus (13) habet pro baſi; vel refrigerantium (13) abuſum. Sanguinis elaſticitatem, hinc ejus, et partium quarumlibet, motum reddit tardiorem (101); ſpiſſitudinem quoque ſanguinis poſt ſe trahit; præterea calorem corporis minuit: ac cauſarum remotione ſanatur; mucilaginoſa (11) quoque in hoc morbo uſu non carent penitus.

§. 104.

MUCI *in ſanguine abundantia*, quando

do nimirum mucosæ portionis quantitas ultra quantitatem naturalem, quæ decima totius pars creditur, ascendit: vel medicaminum aut alimentorum incrassantium (14) abusum sequitur; vel oritur a contagio coagulante (136), sanguini commixto: sanguinem reddit justo spissiorem (98), ejusque transitum per vasa secundi generis difficiliorem; atque sic horum vasorum obstructioni viam parit: et attenuantia (14) postulat.

§. 105.

Muci in sanguine defectus, quando scilicet ejus copia ad naturalem, id est, decimam totius, partem non pervenit: vel alimentorum aut remediorum attenuantium (14) nimiam ingurgitationem habet pro basi; vel contagii cujusdam attenuantis (136) in sanguine præsentiam: sanguinem reddit justo tenuiorem, et, quæ hinc sequuntur, confectariis (99) ansam præbet: medicamenta vero requirit incrassantia (14).

§. 106.

SERI *in sanguine abundantia*, id est, quando seri plus quam quatuor quintæ partes, quæ portio debita judicatur, ad totius compositionem concurrunt: aquosorum potulentorum abusu exsurgit: sanguinem justo tenui-

tenuiorem reddit (99), elaſticitatem ſanguis debilitat (101), inſimul vero ſecretiones in corpore ſeroſas quaslibet auget, *congeſtiones ſeroſas* data occaſione producit: et remedia ſeroſum humorem evacuantia varia, imprimis ſudorifera, diuretica, ac purgantia (15), admittit.

Cruoris, *muci*, *ſeri*, portio, vel abundans vel deficiens, in ſanguine, poſt ſectam venam prodeunte, et in vaſculo aliquamdiu aſſervato, quandoque oculis cernitur.

§. 107.

Seri in ſanguine defectus, quando nimirum illius portio ad quatuor quintas totius partes non aſcendit: vel potulentorum defectum arguit, vel ſecretionum ſeroſarum prægreſſam copiam immoderatam (108). Sanguinem reliquosque humores magis, quam decet, inſpiſſat (90. 98); et ſecretionum quarumlibet, maxime tamen ſeroſarum, defectum poſt ſe trahit: cauſæ requirens remotionem.

§. 108.

LIQUORUM PARTICULARIUM *abundantia*, quando ſcilicet eorundem quantitas ultra naturalem, et corpori partibusque neceſſariam, aſcendit: pro varia copia, partisque, in qua liquor reſidet, ſitu, plus minus facile

facile dignoſcitur; in nonnullis enim partibus, iis ſcilicet, quæ exterius ſunt collocatæ, viſui patet, utpote copioſus *humor ſebaceus* in glandulis cutis ſebaceis; humor per impoſita irritantia externa *inter cuticulam et cutem* collectus; *humor aqueus* copioſus, et *lachrymæ*, in oculo; *cerumen* abundans, in aure; ſaliva ſuperflua, in ore: in aliis, præcedentibus magis interne ſitis, tum demum innoteſcit, quando liquor in majori, quam naturaliter ſolet, copia e corpore partibusque prodit, e. g. *ſudor* e tegumentis univerſalibus, *mucus narium*, vel ſola *ejus ſeroſa* portio, abundans e naribus; *liquor glandularum bronchialium* ſuperfluus, e trachea; *humor gaſtricus* copioſus, e ventriculo; *liquor inteſtinalis* frequentior, et *ſuccus pancreaticus* abundans, ex inteſtinis; *bilis* nimia, e ventriculo et inteſtinis; *urina* copioſa, e veſica; *liquores ſeminales*, e partibus generationi dicatis: in aliis adhuc, quorum nullus datur liber e corpore exitus, non niſi per factam, poſt mortem, partium diſſectionem innoteſcit, quo pertinent, *medulla* copioſius collecta in oſſium interioribus; *humor*, qui *duram matrem*, *pleuram*, *peritoneum*, reliquasque membranas, cavitatem quandam cingentes, humectat, juſto frequentior; *liquor glandulæ thymus dictæ*, *pericardii*, *renum ſuccenturiatorum*, *ovulorum*, *in cavitatibus cerebri*, aliisque cavitatibus minoribus, collectus

in

in nimia quantitate: in aliis tandem visum plenarie effugit, solummodo per usus sive actionis abundantiam dignoscendus, cujus generis est *fluidum nerveum.*

Causa in singulis quærenda est vel in quantitate humorum aucta generatim (88): vel in sanguinis majori elasticitate atque motu (100): vel in majori partis irritabilitate (72), hinc, levissima occasione data, majori fluidorum ad eandem affluxu, indeque pendente secretione copiosiori, seu, quod idem est, in plethora speciali ac congestione serosa (96. 106): vel in arteriarum secernentium, aut diametro justo ampliori, aut elasticitate aucta (79): vel in angustia nimia, aut totali compressione, venularum absorbentium in eadem parte, aut elasticitate earundem imminuta (79): vel ab alterius cujusdam, maximeque vicariæ, secretionis defectu. Receptacula singulis humoribus destinata ultra modum distendit, si liquor copiose secretus ibidem commoretur diutius; hinc tam partium quarumvis vicinarum, quam canalium proximorum succedit compressio, potissimum in ipsa, receptaculum ambiente aut formante, membrana; hujus ultimæ extensio, ac simul, pro diversa ejus natura, atque liquoris congesti copia, vel extenuatio, vel incrassatio, imo et ruptura atque destructio: præterea secretionum reliquarum, et imprimis vicariæ, nisi jam adsit,

adſit, imminutio ſequitur; tandemque ſeri defectus (107): præter effectus quosdam ſpeciales, ſingulis liquoribus proprios; ſic *liquor gaſtricus* copioſus vomitum (245) ciere poteſt, *bilis* et *liquor inteſtinalis* nimius alvum reddit juſto fluidiorem (246) &c.

Medelam abſolvunt cauſarum remotio, et evacuantia ea, quæ vicariam, aut quæ aliam ſecretionem quandam promovent.

Huc ſpectant Georg. Wolfg. WEDEL. Diſſ. *de bile, ejusque morbis.* Reſp. Carol. *Leicker.* Jen. 1689. Joh. Henr. SCHULZ. Diſſ. *de Bile vitioſa, foecunda morborum matre.* Reſp. Joach. Frid. *Herwig.* Hal. 1736.

§. 109.

Liquorum particularium defectus, quando nempe iidem ſinguli, in minori, quam decet, copia ſecernuntur: pariter ac morbus præcedens, pro diverſa humoris conditione et quantitate, partiumque, in quibus ſeparantur, ſitu, vel aſpectui patens, vel parciori proventu dignoſcendus, vel poſt mortem tandummodo manifeſtus, vel actionis defectu dijudicandus (108): pro cauſam agnoſcit, vel defectum humorum generalem (89); vel defectum portionis ſeroſæ in ſanguine (107); vel hujus impeditum ad organa ſecretoria tranſitum, propter arteriarum ſecernentium aut anguſtiam nimiam aut elaſticitatem defi-

cien-

cientem (79); vel alicujus e reliquis ſecretionibus, præſertim vicariæ, abundantiam; quandoque receptaculi deſtructionem (60)

Hujus ultimi atque canalium, liquorem particularem ſeparatum aliorſum forte amandantium, poſt ſe trahit collapſum:, ſecretionis vicariæ, niſi jam aucta adſit, abundantiam infert: corpusque et partes ſpeciali, quem ex eodem liquore habet, uſu privat; atque, hoc reſpectu, *pinguedo aut medulla* deficiens corpori toti, aut oſſi, nutrimentum exinde veniens, et *medulla* in ſpecie oſſeis fibris aliqualem, quam alias ipſis ſubminiſtrat, flexibilitatem, itemque ſynoviæ portionem compoſitionis, quandam detrahit; *lachrimarum* defectus ſuperficiem bulbi oculi anteriorem reddit juſto ſicciorem, atque hinc hujus motum liberum impedit; *humorum oculi* defectus viſum aufert; *cerumen* deficiens, meatum auditorium juſto ſicciorem linquendo, auditum debilitat: *muci narium* defectus odoratum minus reddit exquiſitum; *ſalivæ* defectus guſtum ut et maſticationem ciborum et loquelam, impedit; *eadem* et *liquor gaſtricus*, *inteſtinalis*, *pancreaticus*, nec non *bilis*, deficientes, ciborum digeſtioni ac chylificationi officiunt; *inteſtinalis* in ſpecie liquoris, nec non *bilis*, defectus excrementorum excluſionem retardat; aquoſi principii in *urina* defectus huic colorem ſaturatiorem, et acredinem majorem

…t ex= …remen …rum colorem alterat

rem conciliat. Cauſarum ſuadet remotionem: et remedia evacuantia, cuilibet liquori particulari convenientia, leniora, ſic potius nude attrahentia (15); nec non irritantia externa, parti ſive organo, ſi propter ſitum fieri poteſt, immediate applicanda.

§. 110.

Liquorum particularium conſiſtentia inſolita, vbi videlicet iidem vel *ſpiſſiores* ſunt, vel *tenuiores juſto* (90 91): fundamentum habet aut in canalium ſecernentium ſive dilatatione ſive anguſtia nimia, unde liquor particularis vel ſpiſſior juſto, vel tenuior tantummodo ejusdem portio, tranſmittitur (80); aut in mora vel breviori juſto, quam in receptaculis longiori vel ſuis trahunt ſinguli, adeoque vel diutius ibidem aſſervantur, quam par eſt; vel citius, quam fieri debebat, expelluntur, propter irritabilitatem aut elaſticitatem receptaculi nimiam (63 72). Liquores uſui, cui ſunt deſtinati, magis vel minus reddit ineptos, ſic *medulla* ſpiſſior juſto, oſſis, cui includitur, fibras rigidiores ſolito linquit, et ſynoviæ conſiſtentiam turbat; *humorum oculi* pelluciditas amiſſa, propter admixtas particulas iuſto craſſiores, viſum alterat; *ſaliva* ſpiſſior ſolito, guſtum minus accuratum reddit; *bilis* juſto tenuior, particulas chyli rite miſceri impedit, et quæ ſunt hujus generis alia. Re-

media poſtulat, pro mali diverſitate, ſive attenuantia, ſive incraſſantia (14).

§. 111.

Liquorum particularium color, ſapor, ac odor peregrinus: vel morbi cujusdam preſentis eſt conſequens: vel contagium humoribus commixtum arguit: vel humoris peregrini, e. g. ſanguinis, puris, miſcelam; vel medicamentorum aut alimentorum fragrantium quorundam, e. g. allii, olei therebinthinæ, martialium etc. aſſumptionem largiorem ſequitur. Uſum liquorum particularium ſpecialem infringit. Aliquando malum format tranſitorum, imprimis ſi alimentis aut remediis fragrantibus ortum debeat: et cauſam removendo, tollitur.

§. 112.

Liquorum particularium acrimonia, præter generalia (92), aliquando ipſum humorum ſecretorum juſto diuturniorem decubitum, fermentationemque ac permutationem inde orientes, ſequitur: receptaculo, cui incluſus eſt liquor, irritatione ejuſque conſectariis obeſt, aliquando ulterius excurrente; aut ſi ejusmodi irritatio jam jam adſit, eandem auget; ſic. e. g. *lachrymarum* acrimonia tunicam conjunctivam, ac ſuper genas de-

defluendo, palpebræ inferioris nec non genæ cuticulam rodit; *liquor gastricus* acris, appetitum nimium (231) excitat; *bilis* justo acrior, chylificationem offendit; *seminis* acrimonia, sui profusionem post se trahit; etc. atque causarum remotione sanatur.

§. 113.

LIQUIDI NERVEI *abundantia, atque elasticitas justo major* (100. 108), animi affectum quendam fortiorem atque diuturniorem pro causa habere potest: tensioni fibrarum nimiæ, hinc elasticitati atque sensibilitati partium auctæ, et per consequens earum quoque motui promtiori atque fortiori (63. 72), ac pro circumstantiarum ratione dolori, (138) aut convulsionibus (140), ansam præbet: refrigerantia postulat medicamenta (13), atque humorum per diætam parcissimam imminutionem in genere.

§. 114.

Liquidi nervei copia, atque elasticitas deficiens (101. 109), si in toto corpore contingat, defectum humorum in genere (89) sequitur; partialis vero, id est, quando in quadam corporis parte sola liquidum illud deficit, compressionem aut destructionem nervi ejusdem partis primarii habet pro fundamento (84):

motus ac ſenſus defectum inducit: cauſarum remotione ſanatur; præterea quoque, in partiali defectu, irritantia externa, parti immediate applicanda, admittit.
aliquo modo (195, ***)

§. 115.

TRANSPIRATIO *nimium aucta* (108), quæ vel totalis eſſe poteſt, vel in parte ſpeciali reſidere ſolummodo, arteriarum cutis ſecernentium, itemque ſanguinis, majorem arguit elaſticitatem (79), hinc amborum motum vehementiorem. *Totalis*, urinam parcius prodire efficit; atque ſeri ſanguinis tandem defectum (107), hinc nutrimenti penuriam, et corporis imbecillitatem generat; ſubito ſuppreſſa, humores ad interiora cogit, ibidemque plethoram ſpecialem (96) ejusque conſectaria producit: *partialis* partem, quam occupat, continuo humidiorem et laxiorem, ac alias, ſervat, unde iterum incommoda accidentalia exſurgunt; e.g. in pedibus ſudantibus, frigoris major moleſtia, exhalationes injucundæ, etc. Cauſarum remotione ſanatur.

Vid. Benjam. Frid. ERHARDT Diſſ. *de ſudore, præprimis nimio.* Argent. 1741. Petr. Immanuel. HARTMANN. Diſſ. *de Sudore unius lateris, cum præfatione, de quibusdam febribus ſudatoriis malignis.* Hal. 1751.

§. 116.

§. 116.

Transſpiratio deficiens ſive impedita (109), arteriarum ſecernentium, quibus abundat cutis, anguſtiam nimiam (79) ſupponit, vel a frigore externo, vel a morbo alio, e. g. ſpaſmo (139): peregrinos humores, in corpore forte præſentes, et alias cum humore transpirante avolantes, intra corpus retinet; ſecretiones reliquas, præſertim urinæ, auget: et medicamenta poſtulat modeſte calefacientia (13), præprimis tamen regimen diaphoreticum.

Vid. Georg. Ern. STAHL. Diſſ. *de Tranſpiratione impedita.* Reſp. Joh. Daniel. *Loth.* Hal. 1707.

§. 117.

Transſpirationis, atque ſudoris, odor aut color inconſuetus (111) ſenſibus patet, ſi humor transpirans induſia aliaque linteamina, quod fit utplurimum, odore aut colore peregrino inficiat: niſi naturale quid ſit, alimentorum aut remediorum quorundam aſſumptionem ſequitur; aliquando vero particularum morboſarum exhalationem habet pro baſi: ordinarie aut eſt malum tranſitorium, aut poſt cauſæ remotionem evaneſcit.

§. 118.

SALIVÆ *abundantia* (108), exinde patens, quando os eadem continuo repletum

tum deprehenditur: aliquando eſt vitium connatum; oritur quoque ab irritatione glandularum ſalivalium oriſque interni, per maſticatoria frequentius in uſum ducta, per mercurialia remedia, per accreſcentes dentes in infantibus, exitum per gingivam molientes; item a ſeri in aliis corporis partibus impedito tranſitu, propter viſcerum indurationem ſive infarctum, propter graviditatem, propter compreſſionem vaſorum ſanguiferorum majorum, imprimis venarum, propter malum hypochondriacum (256); nec non a contagio ſcorbutico (169): ptyalismum continuum infert: et ſalivæ, potiſſimum per laxantia, derivationem, poſtulat. Aliquando nauseae (234) est effectus, aut vomitum (235) praecurrit; sic item transi-torium con-stituit malum.

Vid. Fried. HOFFMANN. Diſſ. *de Saliva et ejus morbis.* Reſp. Joh. Georg. *Hoyer.* Hal. 1694.

§. 119.

Salivæ ſapor ac odor inconſuetus (III): oritur a particulis peregrinis morboſis, cum ſaliva permixtis; et ſpeciatim *æruginoſa* ſaliva, bilem ab acido præcipitatam arguit, prouti autores contendunt; *amara*, in febribus nonnullis (149) obſervatur; *dulcis*, hypochondriacis atque hyſtericis (256) aliquando advenit; *foetida*, gingivarum, aut dentis cujusdam, aut oris interni, corruptionem indicat; *ſalſa* ſcorbuticorum (169) eſt affectus. Guſtus

ſtus ſenſum ſimili inquinat perceptione: nauſeam ægroto, et a cibis abſtinentiam, aliquando parit: atque cauſarum remotione debellatur.

§. 120.

LAC *in mammis abundans* (108), eas potiſſimum vexat puerperas, quae infantem ſuum lactare nolunt, easque nutrices, quae infantem ablactarunt: mammas, usque ſub axillas interdum, extendit, hinc irritationi, dolori, congeſtioni ad ſuperiora (72), anſam dat: diſcutientia externa poſtulat; lactisque, ſi nimium urgeat, per intervalla, ope aut ſuctionis, aut balnei vaporoſi, aut vitri ſuctorii, modeſtam eductionem; cum intermixta mammarum compreſſione moderata, ne ſcilicet hæ lacti affluenti nimis cedant; quod ultimum et præſervative adhibitum prodeſt.

§. 121

Lactis defectus, quando ſcilicet tanta illius copia in mammis non ſeparatur, quanta ad alendum infantem requiritur quotidie (109); oritur vel a defectu alimentorum, et conſequenter etiam chyli (94); vel a mammarum, adeoque et ductuum lactiferorum, compreſſione per circumjacentem pinguedinem nimiam (58); vel a viarum, in primiparis potiſſimum (quod vero et aliis, in primis

mis post partum diebus accidit) nondum facta dilatatione sufficiente. Frequentem postulat suctionem: præterea etiam semina, *carminativa* dicta (15), in hoc morbo speciatim et frequenter sunt in usu.

Propter dilatationem viarum, in primis post partum diebus nondum sufficienter factam, lac primo prodiens, *colore* quoque peregrino adhuc, nec non *consistentia*, respectu lactis, contranaturali gaudet, *colostri* tunc nomine veniens, cui tamen brevi verum lac sponte succedit.

§. 122.

URINÆ *defectus* (109) oriri potest vel a potulentorum parciori assumtione, vel a transpiratione nimia (115), vel a tubulorum renalium angustia (58) propter spasmum (139), vel a viarum, quas urina prodeundo permigrat, a re, vel extus vel intus hærente, obstipatione: nec alia indiget medela, quam causarum remotione.

§. 123.

Urinæ color aut odor inconsuetus, præter generalia (111), morbum in corpore præsentem arguit. Speciatim urina *limpida*, sine assumtis potulentis copiosis, spasmodicam tubulorum renalium angustiam manifestat (58); *crocea*, in ictero flava occurrit (174);

fusca

fuſca ſive *nigra*, in ictero nigro; *purulenta* in ſuppuratione renis, ureterum, veſicæ, urethræ (263); *ſanguinea*, in hæmorrhagia, iisdem locis contingente (266): et cauſæ remotionem poſtulat.

§. 124.

MUCI IN URETHRA *defectus* (109) mictionem frequentem, poſt aſſumpta potulenta copioſa, ſequitur aliquando: eandem, id eſt, mictionem reddit doloroſam propter immediatum urethræ ab urina attactum, atque ſic ardorem in mingendo generat: et in hoc caſu, ceſſante mictione frequenti, ſponte poſt novam muci collectionem evaneſcit.







CAP. II.

MORBI COMPOSITI.

§. 125.

COMPOSITUS MORBUS, ad quem ſcilicet componendum plures morbi ſimplices conveniunt, quilibet dici meretur morbus clinicus, ſive morbi illi ſinguli, qui in praxi quotidiana medico clinico auferendi obveniunt, et ad quos medicæ obſervationes variæ, de morbis editæ, ſe referunt. Eſtque ex iisdem ſemper alius præ aliis magis compoſitus, unde non ſolum morbi, huc pertinentes, diſtinctionem quandam admittunt in *magis minusve compoſitos*: ſed et in eosdem quadrant omnes ſuperius allatæ morborum differentiæ generales (19), ipſæ magnam partem non niſi ad morbos compoſitos referendæ; e quibus repetiiſſe ſufficiat, quod ſingulis, quoad *gradum ſive vehementiam*, maximopere varient; quodque ſinguli, vel *ſoli* adſint, vel *morbis aliis*, ſive ſimplicibus, ſive compoſitis *jungantur*, unde et morbus compoſitus adeſſe poteſt *unicus*, *duplex*, *triplex*, in eodem ægroto.

* In explicandis morbis compoſitis, hactenus pertractatorum morborum ſimplicium,

um ii quidem, qui iſtorum intrant compoſitionem, *non vero reliqui*, iisdem forte admixti, ſimul adducuntur: horum namque ultimorum conjunctio eſt accidentale quid, et multis modis variat, e. g. *Atonia*, qui morbus inter compoſitos primus occurrit (137), præter ſimplices, ipſum formantes, morbos, partis, quam occupat, ſitum, directionem, volumen, figuram, colorem, &c. contranaturalem, humorum conſiſtentiam vitioſam, eorum acrimoniam, liquoris cujusdam ſpecialis copiam, defectum, &c. atque ægritudinum harum vel unam ſolam, vel plures, ſimul adjunctas habere poteſt; In *Dolore*, *Spaſmo*, ordine atoniam excipientibus (138. 139), reliquisque omnibus, idem aliquando contingit, nec tamen in pertractanda Atonia, Dolore, Spasmo, &c. partium ſitus morboſi, directionis, voluminis, humorum acrimoniæ &c. fit mentio: æque ac morbi compoſiti ipſi diverſimode inter ſe nonnunquam complicantur, nec tamen ubivis, ubi hæc complicatio eſt poſſibilis, ſinguli iſti, qui accedunt alteri, repetuntur. Medico interim clinico incumbit, in inveſtigando morbo quocunque, ipſi obveniente, percontari ſedulo, num et quales morbi ſimplices, accidentaliter præſentes ſimul, nec primo intuitu ſemper patentes, adſint. Facile enim nonnulli eorum morbo compoſito junguntur, ac, ſi negligantur, medelam maxime retardant (46), prouti id experientia, rite inſtituta, comprobat.

** Huc proprie pertinent autores Pathologici ſpeciales, a STOLLIO et KESTNERO collecti (42. ſchol.).

§. 126.

§. 126.

Morbus compositus actiones corporis vel plures simul lædit, pro numero scilicet partium vitiatarum; vel unicam, in majori tamen et composito gradu; imo et, in certis circumstantiis, actiones partis cujusdam penitus sufflaminat. Hinc varios edit *effectus*: et quidem pro numero simplicium morborum, e quibus constat, ipsorum nimirum horum effectus singulos, atque ideo effectus, e tot simplicibus compositos, quot ad eundem componendum simplices morbi conveniunt. Effectus isti, vel singuli sunt diversi: vel si ad componendum morbum duo vel tres concurrant morbi simplices, eundem effectum edentes, effectus ille unicus quidem, ast duplo, triplo, erit major.

§. 127.

Dignotio morbi compositi e signis morborum simplicium, qui eundem componunt, diagnosticis (43), junctim sumptis, colligitur. Patet ergo compositus morbus, partim inspectionis ocularis, ac reliquorum sensuum externorum ope: partim e reliquis effectibus sive consequentiis proximioribus, eum mox a principio concomitantibus, aut brevi post eundem præsentem accedentibus. Cum vero ex iisdem alii præ aliis sint magis manifesti (22): hinc alium morbum compo-

posi-

positum præ alio facilius dignosci, negandum non est. Non tamen exinde inferendum, quod complures morbi nullam habeant diagnosin certam: cum enim æger effectus magis absconditos ipse sentiat, hinc, si et rationis compos sit, et ingenue quævis confiteatur, paucissimi dantur morbi, speciatim in sequentibus notati, qui, adhibita solertia debita, tandem dignosci nequeant: id quod tamen de morbo potissimum, nec adeo de causa ejusdem occasionali valet; hæc ultima quippe aliquando nulla ratione detegi potest, interim et tunc medelam non amplius impedit (24, *).

§. 128.

Ad producendum morbum compositum, plures concurrunt *causæ*, et quidem rarissime, aut forte nunquam, solæ externæ, aut internæ solæ, sed utplurimum nonnullæ ex ambabus classibus simul. Has inter haud raro morbi alii, tam simplices quam compositi, præsentes reperiuntur. Alias vero causæ illæ, uti in generalibus jam jam dictum (28), vel proximæ sunt, vel remotiores, vel primæ, singulæ indagatu plus minus difficiles, adeoque ut detegantur, proportionatam diligentiam requirentes.

§. 129.

Ratione *eventus* aut effectuum remotiorum (22) majori, præ morbo simplici, semper premitur difficultate compositus. Est namque hic, uti facile est perspectu, posito, quod sanabilis fuerit, simplici major semper, adeoque et generatim periculosior, quoniam vel pars corporis plus una ratione læditur, vel plures simul patiuntur, secus ac in simplici (20). Incurabilis etiam, ex eodem fundamento, majores secum ducit molestias, quamvis medela palliativa adhibeatur. Nec raro in alium morbum, præcedenti vel majorem vel minorem, utplurimum tamen compositum, transmigrat.

§. 130.

Unico *remedio* si aggredi morbum compositum placet, tot istud instructum sit viribus, quot varii simplices morbi, compositum perficientes, requirunt (43). Utplurimum autem remedia conjungere plura, ut omnibus illis morbis combinatis sufficienti efficacia obviam eatur, necessitas jubet, In singulis quoque curandis causarum eo magis habenda est semper ratio: quia, iisdem persistentibus, vel nulla recuperatur sanitas, vel, recuperata licet, stabilis esse nequit: excepto casu illo, quando vel periculosior morbus,

bus, causæ, difficilius removendæ, ablationem plenariam antea moliri, non permittit (34); vel causa occasionalis, jam dudum remota, medelam non amplius retardat (127).

Repetendum ergo hic est, quod medicamenta, in sequenti morborum specialium pertractatione commendata, semper *contra morbum ipsum* sint directa: ea vero, quæ *causæ* medentur, e præcedentibus et aliunde supponantur cognita: atque, quod ideo in singulis morbis sanandis, etiamsi expresse id non annotatum fuerit, *causarum rationem semper habere* debeat medicus.

§. 131.

Omnes morbi compositi curabiles *in fine* aut requirunt, aut admittunt, roborantia, tam externa, quam interna: quoniam singuli, nisi robur partium jam ab initio pessundent, successu temporis ad minimum hunc indubie edunt effectum.

§. 132.

Morbi *duplices*, *triplices*, *multiplices*, istud cum compositis habent commune, ut, pro numero morborum conjunctorum, signa, causæ, prognosis ac medicamenta, aut multiplicentur, aut gradu augeantur. Medela in tali casu singulos respicit morbos, quorum vel omnium simul habetur ratio, si scilicet

unius

unius generis remedia omnes desiderent; vel si contraria requirantur, morbus ille primus semper aggrediendus est, qui reliquos periculo superat. Quodsi vero accidat, ut duo aut tres morbi compositi combinentur, singuli summe periculosi, et remedia e diametro sibi opposita postulantes, nulla prorsus medela est speranda: quoniam, quicunque ex iisdem primus impugnetur, remedia huic dicata alterum, jam summe periculosum, adhuc augent, et incurabilem, aut, pro conditionis diversitate, lethalem efficiunt (37).

Quo magis morbi multiplicantur, eo difficilior eorundem dignotio fieri potest, eoque magis necessario augentur periculum inde timendum, et medelæ difficultas.

§. 133.

In denominandis morbis compositis cognita nomina et diuturna cosuetudine approbata retinentur, ne scilicet, eligendo nova, perspicuitas lædatur. Notandum vero, non semper in iisdem statum partium depravatum exprimi, sed nomen consuetum aliquando ab usu partis deperdito aut languente, adeoque ab effectu morbi, imo et interdum a causa morbi, esse desumptum.

§. 134.

§. 134.

In pertractandis morbis compoſitis primo loco illi recenſentur, qui univerſum corpus afficiunt: et in iisdem, quantum fieri poteſt, initium fit ab illis, qui minus ſunt compoſiti reliquis, quos ipſos deinde magis compoſiti excipiunt. Secundo loco morbi pertractuntur, qui in ſingulis corporis partibus obveniunt. Atque hæc ipſa diſtinctio doctrinam de morbis compoſitis in duas dividit ſectiones, quarum prior *totales* proponit, altera *partiales morbos*.





SECT. I.

MORBI COMPOSITI TOTALES.

§. 135.

MORBI COMPOSITI TOTALES, qui ſcilicet vel corpus univerſum ſimul afficiunt, vel in omnibus ejusdem partibus contingere queunt, ſunt *Atonia*, *Dolor*, *Spasmus*, *Convulſio*, *Epilepſia*: *Inflammatio* vel *ſanguinea*, vel *lymphatica*, vel *ſeroſa*; *Suppuratio*, *Gangræna*: *Febris*, tam *intermittens*, quam *remittens*, atque *continua*; et hujus ultimæ ſpecies diverſæ, *Febris* nimirum *Catarrhalis*, *Inflammatoria*, *Suppuratoria*, *Hectica*, *Gangrænoſa*, *Putrida*, *Exanthematica*: porro *Exanthemata varia*, *Purpura*, *Morbilli*, *Variolæ legitimæ*, atque *nothæ*, *Petechiæ*; *Peſtis*, *Scabies*, *Lues venerea*, *Scorbutus*: *Hæmorrhagia*, *Sanguinis fluxus deficiens*, *Hydrops*, *Cachexia*, *Icterus*, *Viſcerum indurationes*.

Cum prædicti morbi totales quilibet, pariter ac in ſequenti ſectione commemorati particulares, una cum præcedentibus ſimplicibus, *interni* ſint (9, **) ille, qui omnium morborum poſſibilium habere catalogum cupit, iisdem morbos chirurgicos, tam univerſales, quam partiales, in autoribus chirurgicis obvios, jungat.

§. 136.

§. 136.

Antequam compositi morbi ulterius explanantur, *Contagii*, morborum clinicorum causæ occasionalis sat frequentis, mentio generalis est injicienda. Denotat vero *id ipsum*, venenum quoddam halituosum, peregrinum, quod vel per aëra disseminatum, vel in corpore aliquo præsens, omnes inficit, quicunque aut aëri isti aut corpori propius accedunt. Natura ejus, sive particularum, istud componentium, intrinseca conditio, adhucdum penitus latet. Interim, præterquam quod ex adductis jam jam elucescat, aliud esse *aëreum*, aliud *corporeum* denominandum: effectus, quos edunt contagia, in corpore admissa, diversi, eorum varias dari species, abunde testantur.

Experientia namque docet, quod, corpori in minima licet quantitate communicata, in eodem per fermentationem quandam sese multiplicent: singulaque in corpore, cui communicantur, tendant ad provocandam inflammationem (142), vel majorem vel minorem: quod omnes quidem indiscriminatim homines, ipsis accedentes prope, aggrediantur; quod tamen iis præsertim sint timenda, quorum corpora vel laxiora sunt justo, vel impuritatibus repleta; unde et robustiores, atque humorum quantitate ac qua-

 litate

litate debita gaudentes, vel nullum, vel parcissimum, exinde sentiunt damnum: quod utriusque classis alia præ aliis vehementius agant: Quod, in specie, *aërea* contagia reliquis magis deprehendantur universalia; una cum vestimentis atque utensilibus, aut mercibus aliquando, a loco ad locum transferantur; quoad particularis cujusdam regionis aut urbis incolas, post aliquamdiu continuatam sævitiem evanescant; velocius et majori cum vi procedant; humores corporis dissolvendo (91. 99) noceant; et quod huc referri mereantur, *exanthematicum* diversi generis contagium, *purpureum* scilicet, *morbillosum*, *variolosum*, *reliqua*, nec non *pestilentiale*, atque *dysentericum*.

Quod e contrario *corporea* contagia sporadicis (19) magis accedant morbis; successiva propagatione continuo quasi perdurent; fluida corporis nimium coagulando (90. 98), noxiam suam qualitatem exserant; haud facile aliter, quam per attactum ægroti cujusdam immediatum, alteri, communicentur corpori; nisi forte effluviorum, per transpirationem e corporibus multis morbosis prodeuntium, copia inficiat; quodque his annumeranda sint, contagium *scabiosum*, *venereum*, *scorbuticum*, et *hydrophobicum*.

Medelæ cuilibet præservatio anteponenda est, quæ evitando loca corporaque infecta per-

perficitur: contagium interim, ſemel admiſſum, haud alio modo, quam per tranſpirationem, regimine diaphoretico remediisque congruis moderate auctam, expellitur: effectus vero, ſi ſpecialem expoſcant curam, vel coagulantia vel attenuantia (14), atque inter hæc ultima, certa quædam ſpecifica, poſtulant.

* Præter prædicta adhuc aliæ dantur contagiorum ſpecies, animalibus brutis infeſta: quæ a ſupra adductis differre, vel exinde patet, quod lues e. g. bovillum genus, aut ovile, aut ſuillum, aut aliud, ſat diu et per multos interdum annos depaſcens continuos, ad homines non tranſeat, prouti id noviſſima experientia de lue bovillum genus, per totam fere Europam ſucceſſive, depopulante, nec tamen hominibus noxia, probat; quamvis ſingularia exempla pauca in contrarium autores obſervaverint, vid. e. g. E. N. C. Dec. II. Ann. VII. Obſ CXCII. Interim e ſuperius commemoratis nonnulla mediam quaſi claſſem conſtituunt, et hominibus et brutis nocua: quale eſt contagium *hydrophobicum*; cui et *ſcabioſum* forte, non ſine omni ratione, jungitur.

Quidam præterea autores varios alios morbos, phthyſin, e. g. podagram, &c ad contagioſos referunt, absque fundamento.

** Morborum ab aëreo contagio oriundorum cauſam in Nitro quodam aëris juſto copioſiori ponit, ſed fruſtra, Mart. Goth. Lö-

LÖSCHERUS in Diff. *de Anima hominis materiali insensibili*, Resp. Augustin. Christian. *Gilbert.* Witt. 1712. Vid. ib. §. VII.

*** Vid. Georg. Wolffg. WEDEL. Diff. *de Contagio et morbis contagiosis.* Resp. Joh. Frid. *Breitert.* Jen. 1689.

§. 137.

ATONIA, sive *imbecillitas*, quando nimirum vel corpus totum, vel pars quædam, robore naturali destituitur manifeste: componitur e partium irritabilitate justo minori (73), et sanguinis deficiente elasticitate (101); quibus accedit fibrarum utplurimum laxitas (54), rarius tenuitas (47), aut durities (51), aut mollities (52). Horum morborum simplicium signa admittit et causas. Adeoque, quoad has ultimas, vel vitium constituit connatum: vel supponit alimentorum defectum, aut prægressum morbum quemcunque majorem; aut secretiones urinæ, sudoris, diarrhoeam (246), immoderatas; aut sanguinis itemque cruoris defectum (97. 103), aut abusum anodinorum (11), aut vitam sedentariam: vel prægressam arguit elasticitatem sanguinis (100), et solidorum tensionem nimiam (53), adeoque sequitur præcedentem spasmum (139), convulsiones (140), inflammationem (143), febrem (148), labores nimios, motum corporis justo vehementiorem

rem

rem aut diuturniorem; calefacientium quorumvis (13), præsertim potulentorum spirituosorum, abusum: vel pro basi habet fibrarum partis antegressam destructionem (56); vel partium molliorum generalem structuræ incipientem mutationem, senibus familiarem.

Motus atque actiones corporis, partiumque, singulas majori cum molestia, et minus alacriter ac imperfecte, peragi facit: hinc solidæ partes fluidas non rite propellunt; unde harum quantitas augetur, secretiones imminuuntur, in canalibus stases earumque consectaria oriuntur: imo et, si nimia fuerit imbecillitas, motus solidorum, et consequenter fluidorum quoque, penitus cessare potest: ad minimum corpus a levioribus causis occasionalibus magis, quam alias, afficitur; ipsisque spasmis (139), data occasione, redditur obnoxium. Morbus, si chronicus fuerit factus, est pertinacissimus. Cum diæteticis præsidiis, roborantia postulat medicamenta (11): dicta tamen tenuitas fibrarum in specie, medela non indiget; nec eandem structuræ mutatio admittit.

* Atoniæ pariter, ac reliquis morbis compositis omnibus, varii alii morbi, vel simplices vel compositi, interdum accedunt. Horum ergo signa, causa, prognosis, medela, jungantur atoniæ (125,*).

** *Maximus atoniæ gradus* is eſt ſine dubio, ubi et ſolidorum tenſio, et ſanguinis elaſticitas, penitus ſublatæ deprehenduntur. Hic et ſolidorum motum atque humorum circulum plenarie tollit, at, proprie loquendo, de fibra aut parte, quamdiu vita fruitur, prædicari nequit, quippe quæ ejus potius mortem aut indicat præſentem, aut promptiſſime infert.

*** Alia ſupereſt atoniæ ſpecies, admodum periculoſa, abaſſumpto *veneno relaxante* producta. Hujus medela, cum doloris, a veneno irritante generati, medela perfecte coincidit (139).

**** Vid. Joh. Frid. ORTLOB. Diſſ. *de Tono et Atonia.* Reſp. Chriſtian. Mich. *Adolphi.* Lipſ. 1700. Mich. ALBERTI Diſſ. *de Atonia.* Reſp. Joh. David *Milhauſer.* Hal. 1716. Georg Erhard. HAMBERGER. Diſſ. *de Atoniæ cauſis in genere.* Reſp. Phil. Jacob. *Hoffmann.* Jen. 1751. Sam. Theod. QUELMALZ. Diſſ. *de Convaleſcentium cura.* Reſp. Joh. Frid. KNICKER. Lipſ. 1749.

§. 138.

DOLOR, in quo conveniunt, fibræ tenſio maxima adeo ut hæc ruptioni ſit proxima (53), irritabilitas partis major (72), et nervei liquidi elaſticitas nimia (113): ſemper proportione habita, major eſt, quo majori fibra gaudet tenuitate: et ægroti confeſſione patet. Pro fundamento agnoſcit violentiam fibræ factam, vel ab extra, a qualibet re,

quæ

quæ majori cum vi in fibras agit, quam hæ, citra metum ruptionis, perferre poſſunt; atque ex iisdem aliquando feſtucas ligneas, aut oſſis fracti acumen, animalium morſus, aut quaslibet alias res, partes, præſertim elaſticas, pungentes ac vulnerantes, remedia corrodentia externe applicata, pus, potiſſimum impurum, &c. vel ab intra, reſpectu totius corporis, advenientem, e. g. irritantium remediorum (11,**) doſin nimiam, venena irritantia aſſumpta, ipſamque ab humoribus copioſis peractam fibrarum diſtenſionem (88. 96), flatulentiam et ſaburram primarum viarum. (236. 237) &c.

Motum uſumque partis affectæ, pro diverſo vehementiæ gradu, vel minuit vel tollit, ad tempus ſaltem; hinc, pro partium uſu vario, diverſas poſt ſe trahit effectus noxios: plethoram ſpecialem, nec non congeſtiones ſeroſas (96. 106) præſentes, auget, et, ſi nondum adſint, infert, pariter ac motum humorum auctum, atque ſecretionem in parte affecta copioſam. Præterea, pro varia partis inſita elaſticitate, fortius aut mitius affligit: itemque pro diverſitate cauſæ, hujusque majori vel minori perſiſtentia, plus minus diu durat: et, ſub certis circumſtantiis, quo vehementior eſt, eo citius, abſente cauſa, aliquando abit; quo remiſſior, eo diutius durat. Atoniam partis morboſæ re-

linquit vehementior: idem, et diutius continuans, ſpasmo (139), convulſioni (140), epilepſiæ (141), inflammationi ſanguineæ (143), niſi aliunde orta jam jam adſint, itemque lipothymiis (181), anſam dat. Remedia relaxantia et anodina (11), tam interne, quam externe adhibita, requirit.

Dolor in ſpecie, ejusque conſectaria, a *veneno irritante* aſſumpto, poſtulat, ſive promtiſſimam veneni rejectionem, aut vomitu, per hauſtam aquam tepidam copioſam, vel lac tepidum, oleum amygdalorum, olivarum, et ſimilia provocato, aut laxantibus et clyſteribus; ſive, ſi rejectio non amplius fuerit poſſibilis, particularum veneni per medicamenta, contrarias vires poſſidentia, adeoque, pro diverſa veneni natura, vel per antacida, alcalia aut terrea, vel per acida, deſtructionem: ſive tandem, ſi ne ejus quidem poſſibilitas ſuperſit, effectibus relictis oppoſita medicamenta.

* De dolore, tanquam morbo ſpeciali agunt, præter alios, Joh. JONSTON. *Ideæ Medicinæ* Libr. I. Tit. IV. Cap. I. et Herm. BOERHAV. *Aphor de cogn. et cur. morb.* §. 220. ſq. Ultimus hic autor morbum fibræ *nerveæ* proprium vult: quod etiam defendit Laur. FERRET. Quæſt. Med. *An dolor, a ſoluta unitate, morbus?* Reſpond. Joh. Franc. *Iſez.* Neg. *Paris.* 1741. Intern[illegible] *tendineam* quoque fibram

antiquiſſimos, e. g. Galen. Methodo med. Libr. XII. Cap. 8. et

fibram, atque hanc forte præ cæteris, dolori excitando esse aptam, Tendinum atque Ligamentorum, in quibus anatomia vel nullos vel parcissimos detegit nervulos, vulnera, gravissimis doloribus stipata, nervorumque involucra membranacea, docent.

** Vid. Joh. Maurit. HOFFMANN. Diss. *de Dolore in genere.* Resp. David *Zollicoffer.* Altorf. 1682. Frid. HOFFMANN. Diss. tradens *Compendiosam et clinicam praxin dolorum cum cautelis.* Resp. *Wolffg.* Sigmund. Geiniz. Hal. 1706. Georg DETHARDING. Diss. exponens *Ethicam dolentium.* Resp. Augustin. *Puehner.* Rostoch. 1722. Joseph. Exuper. BERTIN. Quæst. med. *An specificum viperæ morsus antidotum Alkali volatile?* Resp. Joh. Franc. Clement. *Morand.* Aff. Paris. 1749. Georg. Erhard. HAMBERGER. Diss. *de Dolore in genere.* Resp. Frid. Theodor. *Fischer.* Jen. 1750. Joh. Adolph. WEDEL. Diss. *de Irritatione.* Resp. Dionys. *Krægel.* Jen. 1730. &c.

§. 139.

SPASMUS, qui est partis cujusdam mollioris rigida tensio, sive constrictio sensibilis, cui utplurimum dolor jungitur, constat e tensione mollioris fibræ omnis generis (53) majori, aut ejus loco e dolore (138), atque e minimorum vasorum, præcipue quidem serosorum, verum et reliquorum, angustia nimia (76. 79. 80). Dividitur in *universalem*, unde vel universum corpus obrigescit, ac in recto situ immotum manet; vel istud

iſtud antrorſum incurvatur, capite ad genua ducto; vel retrorſum trahitur, inſtar arcus incurvatum; vel ſpaſmus, ſubito exortus, vehemens, corpus adeo reddit inſtar ſaxi rigidum, ut membra ſingula eum expreſſe ſitum atque directionem retineant, qualem accedente morbo habebant: atque in *particularem*, qui partem aliquam ſpecialem aggreditur, ſive ſimpliciſſimam, id eſt, fibram, ſive magis compoſitam, aut in eadem plus minus fixe hærens, aut in corpore hinc inde oberrans; ac ejusmodi pars affecta ſpecialis, vel nude obrigeſcit, vel contrahitur, vel ſimul diverſimode incurvatur.

Cauſam conſtituit quælibet major irritatio, a qualibet re, ſive externa ſive interna, fibræ facta, adeoque omnis res, quæ dolorem excitat (138), cum hac interim differentia, ut in ſpaſmo, absque doloribus infeſtante, irritationis minor ſit gradus, quam qui ad dolorem producendum requiritur: prætereaque repentina poſt incaleſcentiam refrigeratio, ſcabies repulſa (167); imo et ipſe dolor vehemens ſpaſmum, niſi jam adſit, infert. Atonia quoque eundem aliquando producit (137) mediate, per humorum copiam, quam in corpore progenerat, et inde venientem canalium minimorum diſtenſionem, eorumque tandem, per excitatum majorem elaterem, contractionem: nec non ira, terrorque gravis.

Spaſ-

Spaſmus humores, in fibris canalibusque ſubtiliſſimis affectis præſentes, exprimit; et affluentibus viam claudit, unde et congeſtiones (88) ad loca diſſita naſcuntur, et fibrarum ſiccitas nimia (49) inducitur; in vaſis reliquis majoribus humorum circulum impedit, hinc juſto lentiorem eundem facit, quod iterum ſtaſibus, earumque conſequentiis, anſam præbet: adhæc uſum partis morboſæ vel maxime impedit, vel tollit penitus, ideoque ſecretiones inducit, aut imminutas aut ſufflaminatas, aut, in certis circumſtantiis, nimias: proximas partes facile in conſenſum rapit, ſicque convulſionibus, epilepſiæ(140. 141), occaſionem præbet: dolorem, niſi jam jam hic, ex alio fonte natus, adſit, facillime infert: tandem in parte affecta atoniam (137) relinquit: facile quoque in habitum degenerat, a leviſſima qualibet cauſa tunc rediens: et, chronicus factus, aut ſaltem aliquoties recurrens, per paroxyſmos generales atque ſpeciales infeſtare poteſt.

Medelam abſolvunt medicamenta antiſpasmodica: quo pertinent potiſſimum relaxantia, anodina, aperientia, refrigentia, diluentia, diaphoretica (11-15).

* JUNCKERO ſpasmus eſt rigida tenſio et attractio unius vel plurium muſculorum, vid. Ej. *Conſpect. Medic.* Tab. XCV. Antiquiores

res quoque varii, ſedem morbi in muſculo ponunt; et interdum cum convulſione pro uno eodemque habent, e. g. JONSTON. *loc. cit.* Libr. IV. Cap. VI. Artic. VI. Id autem fundamento carere ſpaſmus, febrilis (148), qui cutem afficit, muſculoſi nihil obtinentem, probat.

** Generalis ſpasmi prima ſpecies autoribus dicitur *Tetanus*: ſecunda, *Emproſthotonus*: tertia, *Opiſthotonus*: quarta, *Catalepſis* ſive *affectio marmorea*. Particularium quidam quoque ſeparata obtinuere nomina, ſpasmus e. g. penis dicitur *priapismus*: ac in ore obvenit *ſpasmus cynicus* et *riſus Sardonius*, qui tamen ad convulſiones potius referri merentur.

*** Spasmus atque dolor magnum inter ſe alunt commercium. Nec dolor ullus ſine ſpasmo eſt, eoque doloris vehementiæ proportionato: aſt ſpasmus interdum occurrit vel ſine dolore, ſaltem notabili, vel cum dolore tali, ut hujus gradus gradui ſpaſmi multum ſit inferior.

**** Vid. Werner. ROLFINCK. Diſſ. *de Spaſmo ſeu convulſione.* Reſp. Wilh. *Deichmann.* Jen. 1631. Georg. Ern. STAHL. Diſſ. *de ſpaſmis.* Reſp. Joh. Petr. *Pauli.* Hal. 1702. Frid. HOFFMANN. Diſſ. *de Specificis antiſpasmodicis.* Reſp. Chriſtoph. Henr. *Bauer.* Hal. 1704. Chriſtoph. Mart. BURCHARD. Diſſ. *de Affectibus quibusdam ſpasmodicis frequentius occurrentibus.* Reſp. Guſtav. Chriſtian. HANDWIG. Roſt. 1738. Chriſtian. Samuel. GEBAUER. Diſſ. *de Spaſmo fixo Paracelſi.* Reſp. Joh.

Joh. Franc. Sebaſtian. *Doll.* Erlang. 1746. Rud. Wilh. CRAUSII Diſſ. *de Opiſthotono*, Reſp. Frid. Guil. *de Rhoda*. Jen. 1696. Georg. Wolffg WEDEL. Diſſ. *de Catalepſi, rariſſimo affectuum*. Reſp. Joh. *Schomburg*. Jen. 1690. Frid. HOFFMANN. Diſſ. Epiſtol. *de Affectu Cataleptico rariſſimo*. Francof. 1692. Rudolph. Guil. CRAUSII Diſſ. *de Spaſmo cynico*, Reſp. Joh. Carol. *Heinlein*. Jen. 1677. &c.

§. 140.

CONVULSIO, ſive *motus convulſivus*, eſt motus auctus involuntarius, nec non reciprocus, fibræ muſculoſæ: et componitur ex hujus fibræ ſpaſmo (139), atque irritabilitate nimia (75), cum fluidi nervei, in eadem, copia et elaſticitate abundantiori (113). Hinc vel contingit in muſculoſarum tunicarum fibris nonnullis; vel in portione una aut altera muſculi cujusdam, e pluribus minoribus conflati: vel in ſpeciali quodam muſculo, ſive ſimplici, ſive compoſito toto: vel in pluribus muſculis ſimul. Viſu dignoſcitur in partibus corporis externis; in his namque motus auctus, involuntarius, fibræ muſculoſæ aut muſculi, poſt pauca quædam horæ momenta remittens, utplurimum tamen brevi et cum impetu recurrens, partemque affectam violenter concutiens, in ſenſus cadit. In partibus interioribus aliquando manu, ibidem externe corpori admota, per-

obſervatur: aut ægroti perceptione confeſſioneque patet.

Præcedentem ſpaſmum vehementiorem, vel generalem vel ſpecialem, et, quæ hanc producunt, cauſas (139), fortiter agentes, ſequitur haud raro. Adeoque irritationi cuilibet, diutius duranti, et ad gradum intenſiorem auctæ: ac dolori fortiori (138), ubicunque locorum hæreat ille; philtris aſſumptis; vulneribus partium elaſticarum, totam non dividentibus partem; morſui animalium rabidorum; inflammationibus majoribus, præſertim internas corporis partes, atque tendinoſam fibram occupantibus (143), ſupervenire ſolet; nec non canalium ſingulorum et cavitatum ſpecialium, propter nimiam intus contenti copiam, extenſioni prægrandi (53), e. g. repletioni magnæ ventriculi, maxime ab alimentis, acrimonia quadam præditis; inteſtinorum a flatibus; veſicæ urinariæ ab urina diſtenſioni, modum excedenti. Scabies quoque retropulſa, aliæque cutis efflоreſcentiæ (160), eandem provocare poſſunt.

Dolorem in partibus affectis, antea ab eodem liberis, proportionatum gignit: durante paroxyſmo humorum circulationem turbat, atque vel excretionum defectum, vel exceſſum parit: poſtea in illis laſſitudinem et atoniam (137) relinquit. Facile in conſue-

ſuetudinem degenerat: tuncque ſæpius, et plus minus cito, recurrit; nec ordinarie exſtirpatur penitus. Vehementior, facile toti ſyſtemati muſculoſo ſeſe communicat, atque ſic epilepſiam (141) producit: idque eo citius, quo ſenſibiliori æger gaudet temperamento. Quo tenerius quoque eſt corpus, eo periculoſior exiſtit: hinc infantuli, infra ſex hebdomadum ætatem conſtituti, ægritudine iſta facillime pereunt. Aliis ſuperveniens morbis magnis, præſertim inflammationi ſanguineæ graviori (143,147), ominoſa eſt.

Medicamenta relaxantia atque anodina (11) poſtulat.

* Spaſmus atque convulſio (quos morbos antiquiſſimi ſæpius promiſcue ſumunt; et quorum ultimum nonnulli recentiorum, ſed fruſtra, a motibus convulſivis ſubdiſtingunt,) in eo differunt, quod ſpasmus et nullos ſecum habeat motus reciprocos, ſed potius rigiditatem in parte generet; et mollioribus fibris quibusvis ſit communis: Convulſio vero et motus habeat dictos, et non niſi muſculoſas aggrediatur partes. Præterea hæc, tam vehementiæ, quam periculi, gradu ſpaſmum vincit.

** In infantibus ſpeciatim, pavores in ſomno reiterati aliquando convulſionum præcurſores ſunt.

*** Vid. Chriſtoph. SCHELHAMMER, Diſſ. *de Convulſione.* Jen. 1643. Joh. Theodor. SCHENCK, Diſſ. *de Convulſione.* Reſp. Ioh.

Joh. Andr. *Henckel.* Jen. 1670. Joh. Arnold. FRIDERICI. Diff. *de Convulſione inferioris maxillæ.* Reſp. Chriſtoph. Frid. *Pollmaro.* Jen. 1672. Frid. HOFFMANN. Diff. *de Morbo Convulſivo a viſo ſpectro.* Reſp. Joh. Georg. *Glytz.* Hal. 1682. *Ej.* Georg. Erhard. HAMBERGER. Diff. *de Convulſionum natura.* Reſp. Chriſtian. Adam. *Gondala.* Jen. 1751. Herm. Paul. JUCH. Diff. *de Convulſionibus.* Reſp. Joh. Erneſt. *Rauſchenberg.* Erford. 1751. Phil. Conrad. FABRICII Diff. *de miris quibusdam motibus ſpaſmodico-convulſivis vagis.* Reſp. Joh. Barthold. *Hoffmann.* Helmſt. 1751. Chriſtian. Fried ENGELMANN. Diff. *de Motibus Convulſivis atque Convulſionibus a partu difficili.* Altorf. 1752. Phil. Georg. SCHRÖDER. Diff. *de Convulſionibus ex hæmorrhagia nimia oriundis,* Marburg. 1752. etc.

§. 141.

EPILEPSIA eſt motus omnium totius corporis partium muſculoſarum convulſivus, ſpaſmo reliquarum junctus: conſtat ergo e convulſione generali (140), et ſpaſmo (139): atque motus iſte convulſivus, totum corpus oberrans, inque extremitatibus præſertim notabilis; qui, quoties hominem aggreditur, eundem cum ſenſuum externorum atque interni, totali abolitione humi, niſi quadam re ſuffulciatur, ſubito proſternit; utplurimum poſt pauca horæ momenta remittens, nec ullum aggrediendi tempus certum obſervans, ſed mox paucarum horarum, aut die-

dierum, mox menſium intervalla linquens; viſu facile dignoſcitur.

In quibusdam ægrotis *præcedunt* paroxyſmum, vel ſpaſmus quidam, ſenſu frigorifico, aut vaporis, a pedibus ad caput aſcendentis, ſeſe manifeſtans; vel ſpaſmi alii, aut convulſiones particulares; vel vertigo; vel ſcintillarum ante oculos volutatio; vel alia quædam perceptio ſpecialis. In aliis nihil horum evenit, ſed morbus ex improviſo invadit, et uno impetu. *Durante paroxyſmo*, caput artusque vehementer concutiuntur, convelluntur et colliduntur: in facie adeſt livor, aut cæruleus obſcurus color: oculi, torvi atque aperti, cum faciei partibus ſingulis varie torquentur: dentes ſtrident, linguam interpoſitam vulnerantes: ſpuma aut ſaliva mucoſa prodit ex ore: gula conſtricta liquidis quibusvis, aliisque deglutiendis, viam præcludit: ſpiritus cum ſonitu trahitur, accedente interdum rugitu: pollices digitosque, firmiſſime in pugnum clauſos, robuſtiſſimus quisque explicari vix, aut non ſine maximo labore, valet: extremitates cum toto corpore mirum in modum contorquentur aliquando, ut geſticulationum atque poſitionis variationum ſupranaturale fundamentum ſubeſſe videatur: inſimulque omnis perceptio adeo deficit, ut ne ignem quidem admotum æger ſentiat: in nonullis variæ ſimul accedunt excretiones,

 na-

narium, aliæque hæmorrhagiæ (170), excrementorum, urinæ, ſpermatis, involuntaria excretio. *Poſt* ſuperatum paroxyſmum, remanet laſſitudo corporis totius, vertiginoſa capitis perturbatio, ſiticuloſitas, anxietas, nauſea, ſudor, nonnunquam graveolens; nec æger, ad ſe rediens, ullius rei, ſibi interea temporis contingentis, memoriam ſervavit. Non tamen omnibus omnia, nec ſingula in gradu æque forti, ſuperveniunt.

Cauſæ eædem ſunt, quæ convulſiones generant (140): ipſa præterea convulſio nimium aucta, imprimis in ſenſibilioribus ægris; aut ſæpe recurrens. Adhæc lactentes morbum quandoque experiuntur, poſt nutricis terrorem magnum, aut iracundiam vehementiorem: pueri, propter dentitionem difficilem, inteſtinorum a vermibus irritationem (245), variolas inſtantes (163): adulti, ab animi affectu graviori quolvis, et a malo hyſterico (256). Aliquando etiam morbus, prouti autores volunt, connaſcitur.

Infantibus, infra ſex ætatis ſeptimanas primas conſtitutis, malum utplurimum mortem infert; niſi poſt unum alterumve paroxyſmum, eumque leniorem, ceſſet: pueris quoque redditur lethale, ad punctum majus ſi augeatur, aut duret diutius, aut morbo majori alii cuidam accedat. In iisdem, nec non

in

in adultis, corporis atoniam (137) relinquit, gradui impetus et diuturnitati ægritudinis proportionatam: tandemque ſtupiditatem (189) poſt ſe trahit. Habitualis etiam fit facile, atque tunc et difficillime ſanatur, et recurrit ſine cauſa manifeſta.

Medicamenta, morbo contraria, haud alia dantur, quam anodina (11). Vera enim ſpecifica, uſu ac legitime inſtituta experientia comprobata, nondum innotuerunt: quæ autem ab autoribus nonnullis commendantur ſpecifica, e. g. oleum animale Dippelii, cranium humanum, ſecundinæ humanæ, ungulæ alcis, totque alia, titulum non merentur.

* Pollicum digitorum complicatorum et manus violenta in paroxyſmo extricatio, cui adſtantium nonnulli quandoque ſtudent, levaminis nihil ægroto afferre poteſt, cum implicatio iſta effectus morbi ſit, non cauſa. Imo et tendinum, quam extricatio neceſſario infert, violenta extenſio, penitus innoxia non eſt. Unde labor iſte, medendi fine ſuſceptus, melius intermittitur.

** Anodina ſive, uti autor loquitur, narcotica damnat, contra ea ſpecificorum catalogum ampliſſimum ſubminiſtrans, IUNCKER. *loc. cit.* Tab. CL. Ultimorum quoque varia, cum appoſita laude, enarrat *Frid.* HOFFMANN. *Med. Syſtem.* Tom. IV. Part. III. Sect. I. Cap. I.

 *** Vid.

*** Vid. Martin. Frid. FRIES. Diss. *de Epilepsia.* Lipf. 1658. Joh. Nicol. PECHLIN. Diss. *de Epilepsia.* Resp. Georg. Martin. *Tatter.* Kilon. 1678. Joh. Gothofr. BERGER. Diss. *de Epilepsia.* Resp. Christian. *Etzler.* Wittenb. 1690. Ioh. Ern. SCHAPER. Differt. *de Epilepsia,* Resp. Hieron. Matth. *Bartholomaei.* Rost. 1695. Ej. Diss. exhibens *Medicinae curiosæ Specimen, duabus quæstionibus enodatum,* Resp. Paul Bernhard. *Neucranz.* Rost. 1703. in specie, hujus Cap. II. de *Sanguinis decollati hominis-potu contra epilepsiam.* Ioh. Ludov. HANNEMANN. Diss. *de Anomalis et Paradoxis morborum curationibus; I. de Epilepsia.* Resp. Elia *Mobach.* Kil. 1706. Aug. Quir. RIVIN. Diss. *de remediis Antepilepticis.* vid. Ej. *Diss. Med.* Diss. XII. Abr. VATER. Diss. qua *Specificorum Antepilepticorum, sigillatim olei animalis, vires examinantur, hujusque efficacia confirmatur.* Resp. Hermann. Iacob. *Burchardi.* Witt. 1725. Christoph Zach. DOEDERLEIN. Diss. *de Epilepsia, autocratia naturæ curata.* Altorf. 1747. &c.

§. 142.

INFLAMMATIO est morbus, in quo conveniunt tensio fibrarum nimia (53): arteriolarum minimarum in parte quadam, aliarum a stagnante humore obstructio (59), aliarum dilatatio atque elasticitas major (63. 80): cum abundantia humorum speciali, sive congestione (88).

Pro

Pro partium ægrotantium vario ſitu, diſtinguitur in *externam* et *internam*: pro diverſa vero vaſorum ſanguiferorum iisque connexorum, nec non humorum in eisdem circulantium, diſtributione, in *Sanguineam*, *Lymphaticam* atque *Seroſam*.

Morbum in genere producunt, quæcunque aut canaliculos obturant (58.59); aut humorum conſiſtentiam alterant, eosque vel juſto reddunt ſpiſſiores vel tenuiores (90·91); atque ſic obſtructioni arteriolarum viam parant: aut denique congeſtiones humorum in in parte quadam generant.

Febrem (148) ſemper inducit proportionatam. Præterea inflammatio quælibet vel terminatur *diſcuſſione*, id eſt, canaliculi obſtructi ab humore intus hærente liberantur, adeoque recluduntur: vel in *alium* tranſmigrat *morbum*. *Prius* evenit, quando arteriolarum obſtructarum numerus reliquis, quæ intactæ manſerunt, quantitate eſt inferior, et humor, in canaliculis hærens, aliqualem ſervavit mobilitatem: atque hic eventus eo certius et citius ſequitur, quo parciores arteriolæ infra dimidium omnium, in parte iſta obviarum, obſidentur, ac quo mobilior eſt humor ſtagnans. *Poſterius* contingit, ſi arteriolæ obſtructæ reliquas numero ſuperent, aut particulæ infixæ mobilitatem depoſuerint omnem:

 ſive

five id ſtatim fuerit ab initio, ſive inflammatio mitior, nova accedente cauſa occaſionali, eouſque augeatur. *Adhæc* ſpeciem mutat aliquando, adeo ut ſanguinea mutetur in lymphaticam, hæc vel in ſanguineam vel in ſeroſam; ſeroſa tandem, in lymphaticam. Et præterea atoniam partis affectæ poſt ſe relinquit (137). In *ſpecie* quoque obſtructio arteriolarum in ipſis ſingulis hunc habet effectum, ut ſanguis, cui liber eſt denegatus per punctum obſtructum tranſitus, portionem arteriæ, proxime ante hoc punctum antecedentem, mora ſua aliquali et copia dilatet, ejusque elaſticitatem nimiam provocet.

Medela abſolvitur aperientibus et attenuantibus, pro circumſtantiarum ratione, vel lenioribus vel fortioribus (12. 14).

* Dantur, qui et humorum acrimoniam (92), eamque ſubinde ſolam, accuſant. Interim quamvis negandum non ſit, eandem, fluida ad majorem vel ſpiſſitudinem vel tenuitatem diſponendo, huc eſſe referendam: attamen concedendum quoque eſt, quod ſpiſſitudo hæc atque tenuitas nimia alias adhuc agnoſcat cauſas varias; quod ergo acrimonia non ſemper ſit inflammationis fundamentum. Præterea nonnulli autores vocabulum *acrimoniæ*, et nimis vage adhibent, et juſto latius extendunt, ipſique effectus adſcribunt, qui, teſte experientia, toties ex alio fonte derivari ſe, et meliori jure, patiuntur.

** Quod

** Quod *arteriæ* ſint inflammationis ſubjectum ſpeciale, eorum figura conica declarat, et ſucceſſiva, reſpectu ſanguinis e corde expreſſi fluxus, anguſtia major. Cum enim in venis, ſanguis ex arctiori ſpatio in amplius continuo migret, obſtructio in iisdem locum habere nequit, aut, ſi forte obveniat, brevi ſolvitur.

*** Particulæ, in arteriolis ſtagnantes, easdemque ſic obſtruentes, cum ante ſtaſin ad fluida corporis pertinuerint, ſtatim ac hærere in vaſculis, adeoque hæc obſtruere, incipiunt, maximam non induunt duritiem, ſed eadem non niſi *gradatim* advenit. In hoc ergo tempore intermedio, et quidem magis prope initium, minus prope finem, reſolutio particularum iſtarum, hinc canalium, antea obſtructorum, liberatio atque apertio poſſibilis eſt.

**** Quemadmodum, docente chirurgia, exterior inflammatio eandem, in genere, et admittit et poſtulat medendi methodum, *in quocunque loco* ſedem fixerit: ſic quoque interna inflammatio, quoad eſſentialia, ubique eadem, e partis, in qua hæret, diverſitate, nullam in ſanando patitur differentiam eſſentialem.

§. 143.

Inflammatio ſanguinea (142), ſpeciatim et ſenſu ſtrictiori *inflammatio* dicta, nominatur, quando pars corporis quæcunque cum rubore, calore, duritie extenſiva, et arte-

riarum majori pulſatione, tumet, doletque. In ea ergo, nudæ tenſionis loco (142), dolor adeſt; arteriolæ ſanguiferæ capillares aliæ a ſanguine ſtagnante deprehenduntur obſtructæ, aliæ nimia pollent elaſticitate (63); et congeſtio urget ſanguinea ſive plethora ſpecialis (96): ac ſpiſſitudo aut tenuitas, forte præſens, de ſanguine in ſpecie eſt aſſerenda (98. 99). Cumque febrem hæc poſt ſe trahat inflammatoriam, proprie dictam (153): interna inflammatio, de qua quippe hic agitur, imprimis dignoſcitur dolore conſtante, viscus quoddam obſidente, et aliquando attactum regionis corporis externæ, viſceri reſpondentis, prohibente; nec non febre commemorata, quæ pariter ac dolor, pro vario inflammationis gradu, vel mitior eſt vel fortior.

Ad producendam eandem requiritur, ut cauſæ vel agant in arteriolas ſanguiferas, easdem reddendo anguſtiores juſto (76); vel in ſanguinem, ejus ſtaſin producendo: quo nomine, præter reliqua, accuſanda veniunt, et quæcunque ſanguinem aut inſpiſſant aut juſto tenuiorem faciunt; et ipſa inflammatio lymphatica aut ſeroſa (144. 145); et irritatio, ac dolor quilibet, major, diutiorque (138), ex alio fonte præſens.

Per ſe non eſt adeo ſemper periculoſa, niſi major fuerit: et chronicum conſtituere

malum

malum poteſt, imprimis, ſi accedat lymphatica inflammatio chronica. Occaſionem dat lymphaticæ huic inflammationi, nec non ſeroſæ. Et aliquando in easdem, aut in lymphaticam ſolam, ultimato transmigrat. Vehementior facta, id eſt, plus quam dimidio arteriolarum partis ægrotante, niſi poſt paucos aliquot, e. g. poſt ſex aut ſeptem circiter dies, miteſcens vergat ad diſcuſſionem: vel abit in *ſuppurationem*, quando nimirum ſufficiens vaſorum ſanguiferorum numerus, quantus ſcilicet ad conſervandam in parte affecta vitam requiritur, aut ſtatim ab initio ab obſtipatione manſit liber, aut poſtea rurſum aperitur; id quod in partibus non elaſticis potiſſimum contingere, experientia docuit: vel in *gangrænam*, ſi videlicet omnia partis vaſa ſanguifera arterioſa, aut mox ab initio, aut ingraveſcente demum morbo, obſtruantur, ſicque humorum influxus atque circulatio penitus in parte morboſa ceſſent; atque id in durioribus partibus, magis conſuetum obſervatur. Præterea inflammatio fortior, ob dolorem adjunctum, aliis quoque morbis, præſertim convulſionibus (140), anſam præbet. Ac imperfecte diſcuſſa, indurationes viſcerum (175) poſt ſe relinquit. Et pro viſcerum, quæ occupat, diverſitate varia inducit mala ſpecialia, e. g. delirium acutum (186),

Cum

Cum refrigerantibus, relaxantia atque anodina (11. 13) poſtulat, quamdiu morbus a primo initio creſcit ad ſummum acumen: attenuantia vero, quando morbus decreſcere incipit, primum leniora, cum anodinis maritata, deinde fortiora: tandemque adſtringentia (12), in fine addenda. Externa quoque emollientia ac diſcutientia (59. ſchol.) extus parti affectæ, quam proxime fieri poſſibile, apponenda, locum habent.

* Inflammationem hanc aliquando *chronicam* fieri, diuturnæ oculorum inflammationes docent.

** *Externa* inflammatio in chirurgicis explicatur: quæ etiam rationes ſubminiſtrat, cur *oleum* amygdalarum dulcium, quod nonnulli, vel ſolum, vel in emulſionis formam redactum, in quibuscunque inflammationibus internis nimium laudant, in gulæ, ventriculi, aut inteſtinorum inflammatione ſemper innoxium minime ſit.

*** *Eryſipelas*, inflammationis externæ, in cute oborientis ſpecies, atque ideo per ſe ad chirurgiam referenda, animi quendam affectum vehementiorem, iram videlicet, aut terrorem, ordinarie pro cauſa agnoſcens occaſionali; et dolore atque tenſione inſigni ſtipata: febrem ſecum ducit continuam, ſat gravem aliquando, quæ, *eryſipelacea* nominanda, nec a ſola iſta inflammatione cutanea, ſed etiam ab alia quadam interiori, ſimul præſente, originem trahens, prouti id gradus febris, externæ inflammatio-

nis

nis gradum longe ſuperans, abunde teſtatur; paulo ante ſacri ignis declarationem, conſueto modo cum horrore infeſtat, ſicque morbum totum incipit: inſequentibus, plus minus cito, inflammationis in loco affecto conſectariis ſolitis.

**** Diſtenſio vaſorum in inflammatione ſanguinea *non ſolis ſanguiferis* contingere arteriis, ſed et lymphaticis, patet e colore rubro intenſiori, quem in inflammationibus externis partes membranoſæ, naturaliter albæ, aſſumunt: prouti id imprimis bulbi oculi portio anterior, in ophthalmia, luculenter probat.

***** Aliquando ſanguis, e vena ægroti emiſſus, et in vaſculo aſſervatus, poſt aliqualem moram, ſpeciali *cuticula* albida mucuſa obductus deprehenditur: quod ipſum ſingularem ſanguinis ſpiſſitudinem, (98), ſimul junctam, indicat.

****** Inflammatio fortior, poſt dies paucos miteſcens, atque ſic diſcuſſioni appropinquans, accedente cauſa quadam occaſionali, iterum augeri, idque tertia, quartave vice repeti poteſt. In quo caſu *terminus*, imminenti ſuppurationi poſitus, diverſimode prolongatur.

******* Sunt, qui *opiatorum* in inflammatione uſum improbant, quoniam iſta humoribus a parte affecta avocandis, quem ſcopum medentis eſſe primarium volunt, minus obſervantur idonea: quorum quippe actionem in relaxatione ſolidorum et fluidorum motibus cohibendis conſiſtere, experien-

perientia potius comprobat. Numne vero, posita hypothesi, dolorem congestionis augmentum inducere, experientia itidem testatur: adeoque, quæ dolorem sanant, mediate etiam ulteriorem avertunt humorum affluxum?

§. 144.

Inflammatio Lymphatica (142), obstructionem secundi generis arteriarum, a lympha in iisdem stagnante: atque reliquarum, nec non in obstructis, liberæ portionis, dilatationem atque elasticitatem nimiam (78) supponit. In visceribus eam patefaciunt inflammatio sanguinea (143), diutius in gradu mitiori perdurans sine causa manifesta. Præter causas generales, aliquando pro basi habet inflammationem sanguineam, vel præsentem, vel prægressam. Febri intermittenti (149); ac sanguineæ inflammationi, nec non serosæ (145), ansam dat: nisi resolutione terminetur, indurationem viscerum (175) post se trahit: atque chronicum quandoque fit malum, inflammationem quoque sanguineam chronicam aliquando producens. Attenuantia fortiora atque aperientia (12.14) poscit.

§. 145.

Inflammatio serosa, (142) obstructionem arteriarum quarundam tertii generis, a sero in

in iisdem ſubſiſtente; et reliquarum, nec non, quoad obſtructas, portionis liberæ, dilatio: nem atque elaſticitatem nimiam arguit: dignoſcitur e mitiſſima inflammatione ſanguinea chronica, nec remediis conſuetis cedente, nec tamen in pejus malum tranſeunte, quibus omnibus ſecretionis cujusdam defectus, ſine alia quadam cauſa contingens, accedit: oritur ab inflammatione ſanguinea (143), itemque a lymphatica (144), vel prægreſſis, vel præſentibus: inflammationem lymphaticam producere poteſt; eandemque revocare, ſi diutius ſine reſolutione perſiſtat; ſecretionum præterea anomalias, et febrem intermittentem aliquando, infert: et aperientia (12), nec non attenuantia fortiora (14), poſtulat.

§. 146.

SUPPURATIO, inflammationis ſanguineæ, reſolutionem recuſantis, conſectarium alterum et mitius (143): componitur partim ex arteriolarum, in inflammatione ſanguinea obſtructarum, inter portionem obſtructam et ſanam ruptione, hinc apertione inſolita (56. 81); partim ex integre ſervatorum vaſorum ſanguiferorum in eadem parte, nimia dilatatione atque elaſticitate (61. 80). Prior circumſtantia ſanguinis effluxum e canalibus apertis, et cavitatem novam, producit: altera

ra partes canalis deſtructas, aucto arteriarum motu, tandem ſeparat; ſeparataſque, adjuvante partium calore, ſanguini in cavitatem influenti miſcet, ac e miſcela utrorumque humorem craſſiuſculum, flaveſcentem, odore ſpeciali non conſpicuum, id eſt, *pus* producit: quod *purum* audit, ſi conditiones dictæ adſint; *impurum*, ſi vel conſiſtentia, vel colore, vel odore, aliter ſe habeat, adeoque morbum ſpecialem combinatum monſtret.

Pro partium ægrotarum diverſitate, diſtinguitur in *externam*, atque *internam*, quæ ultima hic conſideratur. In ambabus, pus confectum vel libere profluit e cavitate facta, vel incluſum in eadem reſtat: quorum poſterius *ulcus* format, *abſceſſum* prius.

Ad ſuppurationem morbum inflammatorium properare in viſceribus, adeoque ſuppurationem inſtare internam, exinde colligitur, quando inflammatio ſanguinea, ea præcipue, quæ major jam eſt ab initio, intra conſuetum tempus non diſcutitur, adeoque non mitigatur; ſed potius, poſt illud ſuperatum, augetur, atque hoc augmentum aliquamdiu durat. *Puris* vero generationem jam jam factam produnt, ſanguineæ inflammationis intenſioris effectus ſubito remittentes, non vero penitus ceſſantes, ſed in gradu

gradu mitiori perdurantes; quin etiam posthæc successive iterum augescentes. *Ulceris* tandem in specie præsentia in partibus, e quibus exitus datur e corpore, quales sunt pulmo, primæ viæ, vesica urinaria, probat puris per expectorationem, vomitum, diarrhoeam, mictionem, exturbatio.

Suppurationis *causa* est præcedens inflammatio sanguinea, vel ab initio statim major, quam ut resolutionem admittat; vel, primum licet mitior, ab accessu causæ occasionalis, maxime talis, quæ sanguini majorem conciliat motum, e. g. animi affectus vehementioris, medicamentorum aut potulentorum calefacientium abusus, regiminis ultra modum calidi, refrigerationum subitanearum, aliorumque errorum diæteticorum, intensior facta. Abscessum præsentem in *ulcus* murat apertum, quicquid parietes abscessus aperit, ipsum e. g. pus, ulterius semper rodens; aliquando vehemens corporis motus, saltus, casus ab alto: unde membrana, abscessum claudens, rumpitur.

Suppuratio absoluta, per se spectata, inflammationis sanguineæ prægressæ effectus tollit omnes: propter pus, continuo a canalibus absorbentibus reductum in sanguinem, febrem post se trahit suppuratoriam (154): pus superficiem proximam premens, in ea-

 dem

dem canales sanguiferos angustat, sicque adhuc in illa inflammationi occasionem præbet, itidem, cum causa permaneat, in suppurationem abeunti, similis effectus ulterioris genetricem; hinc facta cavitas, in qua pus hæret, continuo ampliatur; idque eo citius procedit, quo mollior est pars, præsertim si, propter humorum acrimoniam (92) forte admixtam, pus acredine quoque polleat.

Pus, in minima quantitate præsens, absorberi in totum potest, atque sic æger a morbo liberari. Ubi quoque puri liber e corpore conceditur effluxus, nec nimia ejus copia existit, aut novus continuo affluxus e quacunque causa accedit, suppuratio salutariter terminatur. Lethalis contra ea exitus, plus minus cito, sequitur semper, quando vel abscessus adest internus, nunquam aperiens se pro puris eductione; vel ulceris situs talis est, ut puri effluxus plane denegetur; vel pus ex ulcere exiens, omne profluere, sicque cavitas facta consolidari, nequit, aut propter nimiam quantitatem, aut propter novum ejus, et continuo iteratum, proventum.

Medicamenta, quæ in hoc morbo commendari merentur, balsamica (11) sunt, et quæ lenissima adstringendi vi pollent (12): interim, nisi immediate partem attingere que-

queant, efficaciam adeo debilem non possunt non exserere, ut sæpissime nulla medelæ possibilitas remaneat.

* Spatium inflammatum nunquam totum suppurat, sed solum ejus centrum, ubi scilicet inflammatio maximum obtinet gradum, prouti id in externis morbis experientia evincit. Hinc *in qualibet suppuratione* proprie *morbus adest duplex*, inflammatio scilicet in circumferentia spatii morbosi, et suppuratio in ejus centro. Unde et medicus clinicus, ultimam hanc sanans, ambarum signa, causam, effectus, et medelam semper combinet, necesse est.

** In suppurationibus, maxime internis, *pus* cavitati cuidam, e qua nulla ad corporis superficiem datur via, inclusum, e. g. lieni, nihilominus aliquando aut cum *urina*, aut cum *excrementis*, aut mediante *tussi*, salutariter *educi*, et in hoc casu excretionem hanc medicamentis idoneis esse adjuvandam, nonnulli contendunt autores. Cujus tamen eventus veritatis nulla adsunt fundamenta.

*** *Externam*, in est, in externis partibus corporis contingentem, suppurationem explicat chirurgia.

§. 147.

GANGRÆNA, sive mortificatio partis cujusdam, sanguineæ inflammationis, ubi dis-

cuſſio non amplius locum habet, conſequens alterum, et peſſimum (143): in qua conveniunt atoniæ gradus maximus, cum mollitie maxima fibrarum; adeoque harum, ut et partium, tenſio, elaſticitas atque ſenſibilitas penitus deſtructa (52.137,**); nec non ſanguinis ac reliquorum humorum reſolutio plenaria (99.*): pro partium, quas obſidet, diverſitate, pariter ac inflammatio et ſuppuratio (143.146), vel *externa* eſt, vel *interna*; et pro diverſa ſpatii, quod occupat, amplitudine, vel major, vel minor, dici poteſt.

Eandem in internis inflammationibus ſanguineis proxime *eſſe metuendam* teſtantur, quando huic, in majori gradu præſenti, accedunt, præter febrem inflammatoriam (153), animus citra conſuetudinem abjectus, corporis inquietudo inſuperabilis, anxietates præcordiorum auctæ, reſpiratio difficilis et laborioſa, deliria (186), tendinum ſubſultus, vigiliæ continuæ, cum noctibus etiam inſomnibus, ſingultus, convulſiones (140), tremuli artuum motus, lipothymiæ (181) majores, ſecretionum turbæ, facies oculique collapſi: quando ſcilicet, vel hæc omnia, quæ proprie maximum inflammationis (143) gradum produnt, obſervantur, vel maxima dictorum pars infeſtat. *Adveniſſe* autem eandem monſtrant, præcedentibus ſignis junctus ſudor mo-

ri

ribundorum frigidus, perceptionis ſenſuumque imminutio, et affectus ſoporoſus (193).

Cauſa eſt circulatio ſanguinis in parte quadam interna ceſſans, propter obſtructionem omnium ejus arteriarum ſanguiferarum in inflammatione ſanguinea fortiſſima, ſive hæc ſtatim ab initio talis fuerit, ſive, quæ in principio erat lenior, accedente cauſa occaſionali nova, eouſque intendatur. Aliquando etiam, ſed rarius, eam, ſine manifeſta inflammatione interna, ſolidorum maxima debilitas producit.

Mortificatio ſemel irruens, ſine mora ulterius ſerpit: febrem generat putridam (156); et in viſceribus contingens, mortem accerſit indubitatam, quam medicamenta nulla unquam avertunt.

* Gangræna id habet commune cum ſuppuratione, quod totam non occupet portionem inflammatam, ſed ejus ſolummodo centrum: unde in morbis clinicis itidem *e duplici morbo* proprie *conſtat*, e gangræna ſcilicet atque inflammatione. Imo et in externarum partium gangræna, cui chirurgia ſæpius medetur, *omnes tres morbi*, inflammatio, ſuppuratio, atque gangrena, in eadem parte, licet ſinguli in punctis ſeparatis, convenire aliquando, experientia evincit.

** In ea gangrænæ externæ ſpecie, quæ a fibrarum robore ac motu deficiente, adeo-

que a cauſa interna, provenit, alii corticem peruvianum mire extollunt, alii efficaciam ejus dubiam pronunciant. Vid. inter reliquos G. E. DETHARDING. Diſſ. *de Corticis Chinæ efficacia in gangræna et ſphacelo dubia.* Reſp. Joh. Dan. *Schæffer.* Roſtoch. 1746. Res tota eo redit, ut, ſi cauſa debilitatis, quæ gangrænam producere ſupponitur, itemque fluidorum craſſities juncta, tales ſint, ut correctionem admittant, cortici prædicto, roborandi quippe et attenuandi virtute gaudenti, efficacia omnis denegari nequeat: quodſi vero vel morbi gradus corticis vim ſuperet, vel alii adhuc morbi inexſtirpabiles connectantur, tunc certe ex ejus uſu medela nulla ſit ſperanda.

*** Vid. Andr. El. BÜCHNER. Diſſ. *de ſignis mortis prognoſticis.* Reſp. Chriſtoph. Frid. *Seld.* Hal. 1747.

§. 148.

FEBRIS, quæ eſt morbus, inchoans cum frigoris perceptione, ſuccedente poſtea æſtu, ipſo demum cum ſudore terminato: componitur, pro diverſis morbi temporibus, vel e ſpaſmo (139) cutis arteriolas ſecundi et tertii ordinis præſertim coarctante, tranſpiratione impedita (116), vaſorum ſanguiferorum internorum elaſticitate aucta (77), et congeſtione humorum ad interiora aliaſque partes a ſpaſmo liberas, compulſorum (88): vel ex elaſticitate ſanguinis per univerſum corpus aucta (100), et tranſpiratione abun-

dan-

dantiori (115); ac aliquando ſudoris colore aut odore peregrino (117): quibus omnibus accedit, quæ febris eſt cauſa principalis, inflammatio (142).

Differentias admittit varias. Primario namque diſtinguitur in *intermittentem*, *continuam*, atque *remittentem*. E quibus *prior* paroxyſmis aliquot ſpecialibus, ſingulis penitus ceſſantibus, ſibi invicem ſuccedentibus, et totidem ſupra deſcriptas febres diverſas efficientibus, abſolvitur: id eſt, febris frigore, æſtu, ſudore conſtans, finitur; ſed poſt tempus aliquod, aut horas quaſdam, eadem pari modo et ordine invadit; idque reiteratis vicibus repetitur, *Continua* e contrario unicum tantummodo paroxyſmum ſiſtit: adeoque ex unica febre conſtat, quæ poſt abſolutum frigus, æſtum, ſudorem finalem, nunquam redit. *Remittens* tandem, quæ ex ambabus præcedentibus componitur, paroxyſmos quidem habet a ſe invicem diſtinctos, ſingulos tamen non penitus ceſſantes, ſed vehementiam ſolummodo ad tempus deponentes: quam deinde reaſſumunt, reſtitante, in hoc intervallo, febris continuæ præſentia.

Ad hæc febris quælibet eſt, ratione durationis totalis, vel *acuta* ſive brevis; vel *lenta* ſive chronica: ratione ordinis paroxyſmorum, vel *periodica*, ſive typica, et regu-

 laris

laris; vel *vaga*, non typica, irregularis: ratione gradus vehementiæ, vel *benigna*, atque mitior; vel *maligna* atque vehementior: ratione frequentiæ, vel *epidemica*, vel *ſporadica* (19): ratione exitus, vel *ſanabilis*; vel *lethalis*, plus minus cito: ratione anni temporum, vel *vernalis*, vel *autumnalis* potiſſimum.

Præter ea alii quoque morbi, febri ſeſe jungentes, novis diſtinctionibus anſam præbent. Sic, accedente inflammatione leviori, *febris* exſurgit *catarrhalis*; fortiori, *febris inflammatoria*: accedente ſuppuratione, *febris vulneraria* dicta, et *febris hectica*: accedente gangræna, aut ſaburra primarum viarum putrida, *febris putrida*. Exanthemata ſimul præſentia, pro varia eorundem diverſitate, *febrem* formant *exanthematicam*, *miliarem* albam et rubram, *morbilloſam*, *varioloſam*, *petechialem*, *catarrhalem petechizantem*, *peſtilentialem*, rel. Cum lactis ſecretione in puerperis incipiente conjuncta, *febris lactea* dicitur: cum lochiorum anomalis, *febris lochialis*.

Cauſa febris proxima eſt motus fortior ſanguinis et ſanguiferorum canalium, per corpus totum ſe extendens; ac pro baſi habens eorundem nimiam elaſticitatem; quæ ipſa iterum eſt continuatio dilatationis nimiæ et elaſticitatis, atque hinc pendentis motus majoris, tam arteriolarum earum, quæ in inflam-

flammatione obſtructionis non fuerunt ſubjectum, quam arteriolarum obſtructarum in puncto ante obſtructum proximo. Remotior itaque cauſa eſt obſtructio, inflammationem, et ſucceſſive febrem pariens, accedente, ſub paroxyſmi aut febris initium, ſpaſmo cutaneo.

Occaſionem porro febri dant, quæcunquæ ſubſiſtentiam humorum in arteriolis, atque ſic inflammationem, producunt (142), quæ inter, ceu præcipua, conſideranda veniunt, humorum abundantia (88), ſanguinis major elaſticitas (100), ſaburra ventriculi atque inteſtinorum (237), contagia (136), qualitas fluidorum vitiata (90 91), refrigeratio ſubitanea poſt incaleſcentiam; terror, ira vehemens.

Laſſitudinem manifeſtam infert corpori, hincque ejus motum et actiones reddit moleſtas: appetitum ac chylificationem ſtatim peſſundat, unde nutritionis defectus ſequitur, viriumque debilitas augetur: ſomnum vel aufert; vel turbulentum, inquietum, infructuoſum reddit: adhæc dolorem (138), nec non ſpaſmum (139), plus minus obſcuros aut ſenſibiles, in diverſis partibus generat, præſertim tamen in capite, lumbis, et regione ſacra, itemque in artubus, manifeſtos. Præterea, durante frigore, præter pulſum debilem, juſto citatiorem, et plus

minus inæqualem; congeſtiones ad caput et viſcera (88) exſurgunt; urina emittitur copioſa, pallida: durante æſtu, cum pulſu fortiori, in eoque caloris gradui proportionato, plus minus frequenti; ſitis (208) potiſſimum, quosdam frigoris tempore jam jam vexans, in nonnullis delirium mitius (186), infeſtat; ac in eodem, nec non durante ſudore, urina prodit parcior, et aliquando parciſſima, cum rubro ſaturato colore.

In febri, quo regularior eſt ægroti diæta atque regimen, eo regularius procedit febris; at, quo regularior hæc, eo felicius ad finem decurrit: et contra.

Remedia eadem ſunt, quæ et ſpaſmo et inflammationi conveniunt; pro temporum nimirum diverſitate, humectantia, relaxantia, refrigerantia, attenuantia (11.13.14): quibus regimen moderate calidum, in frigore præſertim, accedat.

* BAGLIVUS in *Prax. med.* aliique, quod et antiquiſſimi jam fecerunt, differentiis febrium ſine neceſſitate addunt *febrem ſingultuoſam*, *vertiginoſam*, *vomitoriam*, *ſudatoriam*, *ſyncopalem* &c. ab admixto frequenti ſingultu, vertigine, vomitu, ſudationibus colliquativis, lipothymiis, &c. ſic nominatas. Hac autem ratione plures adhuc febrium ſpecies componi et reliquis jungi poſſunt, e. g. *convulſiva*, *torminoſa*, *verminoſa*. &c.

BOER-

BOERHAVIUS quoque *libr. cit.* §. 642. sqq specialem injicit mentionem *nauseæ* febrilis, *ructuum et flatuum, vomitus* febrilis, *delirii* febrilis, *comatis* febrilis, *pervigilii* febrilis, *convulsionis* febrilis, *diarrhoeæ* febrilis, &c. Interim morbi hi adjuncti, aliique forte admixti, uti sua habent signa, causas, prognosin, a febre diversas, sic sua quilibet requirunt remedia specialia.

** Causam febris autores, pro diversa sua hypothesi, varie determinant, e quibus HELMONTIUS Archeum accusat (17,*), et JUNCKERUS libr. cit. Tab. XXXIX. „animam rationalem, conservationi corporis sui „organici intentam,„ pro causa efficiente; „materiam aliquam, quæ mixtionem sangui„nis et reliqui corporis, intima corruptione „fermentativo-putredinosa, evertere potest„ pro materiali proxima; tandemque „ple„thoram pro causa materiali remotiori„ assumit. Frid. HOFFMANNI, aliorumque placita in libris eorundem quærantur.

*** Præter G. E. STAHLII et Frid. HOFFMANNI: Diss. *de febre* varias, vid. Phil. Jacob. SCHROTER. Themata *febrium generalem doctrinam secundum mentem Galeni et Avicennæ* complectentia. Resp. Casp. *Gribner.* Jen. 1590. Georg. Christoph. SCHELHAMMER. Diss. *de febris natura.* Resp. Joh. Balth. *Schwartzmann.* Jen. 1692. Joh. Godofr. de BERGER. Diss. *de laude febris merito suspecta.* Resp. Joh. Adam. Hacker. Witt. 1730. Abrah. VATER. Diss. *de potu in febribus necessitate,* Resp. Joh. Frid. Thaer. Witt. 1732. Andr.

Andr. Ottomar. GÖLICKE Diss. *de Laude febris falso suspecta*. Resp. Sigism. Ferdin. *Meisner*. Francof. ad V. 1733. Anton. Frid. DANCKWERTS Diss. *de arte inferendi febrim*. Resp. Johann. Wilh. *Martini*. Helmst. 1735. Joh. Henr. SCHULTZ. Diss. *generalia de febribus tradens*. Resp. Joh. Godofr. *Zierbold*. Hal. 1742. Nicol. LE ROY DE ST. AIGNAN. Quæst. Med. *An febris sæpius morbi remedium, quam morbus?* Resp. Franc. *Bernard*. Aff. *Paris*. 1743. Christian. Samuel. GEBAUER. Diss. *de Paroxysmo febrili*. Resp. Carl Frid. *Berndt*. Erlang. 1745. *Ludov*. PATHIOT. Quæst. Med. *An in ipsa febrium exacerbationis ἀκμή Venæsectio?* Resp. Ludov. Gabriel. *Dupré*. Aff. Paris. 1746. Jacob. Laurent. MAUROY. Quæst. Med. *An febris naturæ, curationem molientis, instrumentum?* Resp. Anna Carol. *Lorry*. Aff. *Paris*. 1747. Joh. Ernest. HEBENSTREIT. Progr. *de Temporibus febrium propriis*. Lipf. 1748. Georg. Erh. HAMBERGER. Diss. *de natura febris*. Resp. Jul. Albert. Henr. *Zeller*. Jen. 1751. &c. &c. Nec non Paul. Gottlieb. WERLHOF. Observ. *de febribus, præcipue intermittentibus*. Ejusdemque *Animadversiones de limitanda febris laude*. Itemque Georg. Ern. STAHL. Diss. *de Febribus secundariis*. Resp. David. Wilh. *Pauli*. Hal. 1707. &c.

§. 149.

Febris intermittens, id est, febris, penitus a se invicem separatos obtinens paroxysmos: et in qua, præter febrem (148), inflam-

flammatio adest lymphatica atque serosa (144.145.): ac præterea spissitudo humorum (90) potius, quam eorundem nimia tenuitas, aut plethora, infestat: pro diverso paroxysmorum accessu et reditu, plus minus frequenti, dividitur in *quotidianam*, quæ quotidie invadit de novo; *tertianam*, quæ alternis diebus singulis redit, adeoque die uno infestat, sequenti quiescit, tertio revertitur; *quartanam*, quæ, hodie vexans, sequentes duos agnoscit dies intermedios et a morbo liberos, quarto rursum revertens; *quintanam*, *sextanam*, *octanam*, quæ, pari ratione, quinto, sexto, octavo die, includendo semper huic numero prioris paroxysmi diem ipsum, redeunt, ast reliquis speciebus multo sunt rariores.

Singulæ istæ adhuc sunt vel *simplices*, quæ quotidie, quovis die tertio, quarto, &c. adveniunt semel, eo ipso quotidianam simplicem, tertianam simplicem, quartanam simplicem, &c. formantes: vel *duplices*, quæ quovis die solito bis, id est, duobus paroxysmis separatis, invadunt. Ex his ultimis ergo fit *quotidiana duplex*, cujus alter paroxysmus ordinarie matutinis, alter vespertinis, aggreditur horis: *tertiana duplex*, ubi vel quovis die paroxysmus unicus advenit, ita tamen ordinarie, ut paroxysmi primi, tertii, quinti

quinti, ſeptimi, &c. diei inter ſe, ac paroxyſmi ſecundi, quarti, ſexti, octavi &c. diei quoque inter ſe invicem, tam acceſſionis tempore, quam vehementia et diuturnitate, correſpondeant; vel, modo ſupra dicto, quovis die tertio febris duos format paroxyſmos, alterum horis antemeridianis, alterum circa veſperam, ex quibus iterum matutini inter ſe conveniunt ſeparatim, et ſerotini quoque: *quartana duplex*, et reliqui, pari, ac de tertiana duplici aſſertum eſt, ratione, mutandis mutatis, procedunt. Nec *quotidiana, tertiana, quartana triplex*, quamvis rariſſimæ, penitus ſunt impoſſibiles.

In prædictis febribus quibuslibet adhuc paroxyſmi ſinguli, vel ratione temporis, quo aggrediuntur, *perfecte coincidunt*, adeo ut eadem præciſe hora ſecundus adveniat paroxyſmus, qua primus acceſſerat: vel horam unam aut alteram, ſive *anticipant*, ſive *retrocedunt*. Iidemque paroxyſmi, eorumque ſubdiviſiones in frigus, æſtum, et ſudorem, vel *æquali vehementia ac diuturnitate* infeſtant, vel alter altero eſt aut *mitior* aut *brevior*.

Singuli paroxyſmi cum frigore incipiunt, plus minus manifeſto, interdum ad horas aliquot extenſo: hunc finitum ſequitur calor: quem, ordinarie ſiccum ſub initium, ſen-

ſenſim ſudor, ſatis quandoque largus, excipit, finiensque paroxyſmum claudit penitus: adeo ut æger, durante tempore intermedio, et ad novi paroxyſmi impetum uſque, adeo bene ſe habeat, ut morbum nullum ſentiat.

Cauſam remotiorem conſtituit obſtructio vaſorum ſecundi et tertii generis.

In remittentem, ac porro in continuam tranſire poteſt, ſeçundum ipſius inflammationis mutationem variam (142): aliquando etiam ex una ſpecie transmigrat in alteram, adeo ut quotidiana mutetur in tertianam, quartanam, &c. et vice verſa. Ordinarie ſalutariter terminatur, nec vitæ periculum infert: excepto, quod ſenibus, propter imbecillitatem, iis familiarem, lethalis fieri quandoque, atque id ſi accidat, frigoris tempore potiſſimum contingere, autores perhibeant; quodque, ſi alii accedant morbi inſuperabiles, accidentaliter morte terminari queat: nude etiam ſuppreſſa, aut perverſe tractata, hydropem (172), atrophiam (293), icterumque (174), poſt ſe trahere creditur; qui ultimus aliquando ſponte accedit, pariter ac amara ſaliva (119). Facile tamen, imprimis *quartana*, et ex iisdem ſpeciatim *autumnalis*, poſtquam aliquamdiu emanſit, revertitur, atque ſic recidivas parit; præſertim ſi accedat error diæteticus, aut perverſa, aut inſuffi-

ciens

ciens medela: atque tunc chronica fit, et adeo pertinax, ut menſes integros, imo et annos perduret: recidiva etiam iſta, ſemel introducta, haud certius advenit, quam octavo poſt emanſionem, aut decimo quarto die; prætereaque facile, modo ſimili, poſt febrem, denuo debellatam, reiteratur. Aliquando contagioſa quaſi eſt, aut certe epidemice graſſatur. *Tertiana* in ſpecie *vernalis* raro ultra ſeptem paroxyſmos extenditur, ſæpius infra eosdem ſubſiſtit: omnium minime eſt periculoſa: nec niſi leniora medicamenta poſtulat. *Autumnales* quælibet, et poſt easdem *hyemales*, ceteris ſunt diuturniores: facile recidivant: ſpeciem mutant: ac facilius in remittentes abeunt.

In paroxyſmo, durante *frigore*, corpus ac imprimis extremitates inferiores, partim calidis externe admovendis, partim potulentis calidis interne dandis, partim ſtragulis ſufficientibus impoſitis, foveantur; atque hæc ipſa, in ſequentibus paroxyſmis, dimidiam ante acceſſum horam, jam jam obſerventur, ad præoccupandos frigoris effectus, et gradum ejus diminuendum: *calor* ſubſequens diætam moderate calidam poſcit, diluentia aquoſa, refrigerantia, acida (13.14): *ſudor*, paroxyſmum claudens, corporis quietam ſuadet in lecto, moderate calido, detentionem, et ſubitaneæ refrigerationis evitationem.

Ex-

Extra paroxyſmum, in primis diebus, incidentia et leniter diaphoretica (14.15.) conveniunt. Poſt ſuperatum vero tertium paroxyſmum, in junioribus atque robuſtis; in ſenibus autem, ac ſumme debilitatis, ſtatim poſt finitum paroxyſmum primum, cortex peruvianus detur, vel ſolus, vel cum incidente quodam remedio ſalino permixtus, in doſi ſufficienti, ac tamdiu, quam par eſt, id eſt, ad febris totalem exſtirpationem uſque continuandus: tandemque in fine roborantia (11) propinentur, quæ et verſus morbi terminum febrifugis jam jam ſunt interpolanda.

* Febrem, imprimis intermittentem, *nude ſupprimi* dicunt autores, quando ſtatim ſub initium, absque conſueta præparatione, ſive humorum correctione, adeoque citra methodum ſolitam, febrifugis ſpecificis ſolis morbus profligatur. Id quod etiam de aliis morbis nonnullis valet.

** Vid. Henr. MEIBOM. Diſſ. *de febribus intermittentibus epidemicis.* Reſp. Martin. *Ladey.* Helmſt. 1678. Georg. Wolffg. WEDEL. Diſſ. *de Febribus Intermittentibus.* Reſp. Petr. *Schoepffer.* Jen. 1692. Joh. Carol. SPIES. Diſſ. *de Febrium intermittentium Theoria et Therapia.* Reſp. Benedict *Muhlio.* Helmſtad. 1721. Aug Frid. WALTHER. Diſſ. *de Frigore et Febris Intermittentis acceſſione.* Reſp. Eric. *Kueſch.* Lipſ. 1740. Gaſpar COCHON DU PUY. Quæſt. Med. *An in ipſo exortu febrium intermittentium ſtatim utplurimum Kinakina*? Reſp. Franc. David. *Heriſſant.* Aff.

 Paris

Paris. 1741. Erneſt. Jerem. NEIFELD. Diſſ *de Geneſi caloris febrium intermittentium.* Lipſ. 1744. Georg. Chriſtoph. DETHARDING. Diſſ. *de Cauſa et Indole febrium intermittentium.* Reſp. Franc. Udalr. Theod. *Aepino.* Roſt. 1748. Rudolph. Wilh. CRAUSE. Diſſ. *de febre Quotidiana intermittente.* Reſp. Joh. *Schomburg.* Jen. 1692. Guern. ROLFINCK. Diſſ. *de Tertiana intermittente.* Reſp. Joh. Georg. Trott. Jen. 1662. Georg. Ern. STAHL. Diſſ. *de Tertiana.* Reſp. Godofr. *Meier.* Hal. 1706. Caſimir. Chriſtoph. SCHMIDEL. Diſſ. *de Febre Intermittente Tertiana.* Reſp. Joh. Adam. *Löffler.* Erlang. 1744. Joh. BACMEISTER. Diſſ. *de Quartana.* Reſp. Georg. *Wende.* Roſt. 1658. Georg. Wolffg. WEDEL. Diſſ. ſiſtens *ægrum Quartana laborantem.* Reſp. Joh. Frid. *Herwig.* Jen. 1688. Joh. Caſpar. ANHALT. Diſſ. *de Febre Quartana duplici cum hemicrania.* Altd. 1724. Georg. Chriſtoph. DETHARDING. Diſſ. *de Febris Quartanæ frequentia in Ducatu Mecklenburgico.* Reſp. Daniel. Zachar. *Böteführ.* Roſt 1737. Joh. Henr. SCHULZE Diſſert. *de Mercurialium uſu in febre quartana curanda.* Reſp. Joh. Godofr. *Grævio.* Hal. 1742. Joh. Gothofr. BERGER. Diſſ. *de Chinchina ab iniquis judiciis vindicata.* Reſp. Henr. Dav. *Stieler.* Witt. 1711. etc.

§. 150.

Febris Continua, in qua junguntur febris (148), inflammatio ſanguinea (143), et plethora potius (96), quam humorum aut ſpiſſitudo aut tenuitas juſto major: unico abſolvitur

vitur paroxyſmo; qui cum frigore, plus minus ſenſibili, incipit; poſtea calorem, aliquot dies interdum durantem, et gradui febris aut potius inflammationis proportionatum, habet; tandemque cum ſudore plus minus largo terminatur; qui ideo in una ſerie, ſine ulla intermiſſione aut remiſſione, ab initio morbi ad finem uſque perdurat, et, ſemel ceſſans, non amplius revertitur: Sanguinis præſertim in vaſorum primi ordinis capillaribus ſtagnationem pro cauſa remotiori aſſumens.

Effectus febris, atque ſanguineæ inflammationis, quoslibet ſecum ducit; eodemque modo terminatur, ſcilicet diſcuſſione utplurimum, aut fine febris ſalutari: aliquando, accedente nimirum gangræna, in putridam febrem (156) abit, tuncque mortem infert; rarius in hecticam tranſit; quandoque in remittentem, et ſic porro in intermittentem mutatur: prouti ſcilicet juncta inflammatio vel major eſt, vel minor, vel conſtans, vel in alium tranſiens morbum. Rarius, in gradu mitiori diutius perſiſtit, quando ſcilicet inflammatio chronica redditur.

Generatim majus periculum minatur, quam intermittens, ac remittens febris: eoque magis metuenda eſt, quo majorem inflammatio ſanguinea gradum monſtrat. Quando in remittentem febrem, ac porro in inter-

mittentem tranſit, bonum promittit exitum, id enim teſtatur, vaſa ſanguifera ab obſtructione eſſe liberata. Si vero accedant convulſiones, deliria, pervigilia, reliquaque gangrænæ internæ ſigna (147), mors inſtat. Soluta quandoque ſurditatem (200), plus minus tranſitoriam, relinquit.

Medela abſolvitur anodinis, refrigerantibus, diluentibus, diaphoreticis (11.13.14.15): addendo regimen diapnoicum.

* Quoniam febres continuæ graviores nunquam diutius protrahuntur, ſed ſemper intra aliquot dies terminantur: hinc fortior continua febris etiam *Febris acutæ* nomen habet. Aliis quoque dicitur *continens*.

** Febres continuas certis ſemper diebus circumſcribi, et vel quarto die ſolvi, vel ſeptimo, vel nono, etc. aliqui volunt, aſt ſine fundamento: cum nulla in hac re certa regula detur, ſed omnia dependeant a vario febris et inflammationis gradu et variatione, pro parte etiam ab ægroti diæta regulari aut non regulari, diverſisque aliis cauſis accidentaliter advenientibus.

*** Venæſectionem in febribus continuis inſtituendam eſſe ante decurſum diei tertii, poſtea vero, id eſt, poſt tres elapſos dies morbi priores, eandem ſine periculo non fieri, multorum eſt ſententia. Contra quam GALENVS jam jam docuit *Libr. de Curandi rat. per ſanguinis miſs.* Cap. 20. quod

quod „quocunque die mittendi ſanguinis „ſcopus in ægroto inveniatur, in eo auxi„lium illud adhibendum ſit, etiamſi vel „vigeſimus ab initio exſtiterit dies.„ Vid. etiam HIPPOCR. *de morb. vulg.* Libr III, Aeger. VIII. hoc ultimum, et venæſectionis ſcopo atque effectu, et experientia, corroborantibus.

**** Vid Pancrat. WOLFF. Tractat. *de Orgasmo, purgantia in febribus, alias intempeſtiva, urgente.* Hal. 1706. G. Wolfg. WEDEL. Diſſ. *de morbis acutis febre ſtipatis, ſeu febribus acutis, continuis communiter dictis.* Reſp. Chriſt. Erneſt. *Clauder.* Jen. 1719. Johann. Henr. LÛDERS. Diſſ. ſiſtens *perverſam medendi methodum in febribus acutis.* Argent. 1723. Guil. Joſeph. DE L'EPINE Quæſt. Med. *An in morbis acutis, ubi materia turget, majori potius et unica, quam minori, eaque ſæpius in die iterata, doſi propinanda Cathartica?* Reſp. Guil. *Ruellan.* Aff. Paris. 1743. Georg. Erh. HAMBERGER. Diſſ. *de ſimilitudine ſignorum judicationis et mortis in febribus acutis proxime inſtantis.* Reſp. Mich. *Pfeiffer.* Jen. 1745. Laurent. FERRET Quæſt. med. *An in acutis diæta e ſolis vegetantibus?* Reſp. Anna Claud. *Dorigny.* Aff. Paris. 1749. etc.

§. 151.

Febris remittens, quæ inter continuam et intermittentem eſt intermedia, atque ex ambabus componitur, adeoque conſtat e febre (148); nec non ex inflammatione, tam ſanguinea quam lymphatica atque ſeroſa, di-

verſa proportione, quoad ſanguineam vero, mediocri ſemper, inter ſe mixtis (143·145); accedentibus, modo ſimili, et plethora et ſpiſſitudine aut tenuitate humorum (88. 90. 91): omnes intervalli gradus agnoſcit, quotquot inter duo puncta extrema, inter febrem nimirum intermittentem et continuam, intercedere poſſunt.

Diverſos exhibet paroxyſmos diſtinctos, plus minus regulares, non tamen vere ceſſantes, ſed ſolummodo remittentes; quorum quilibet cum frigore inchoat, aliquamdiu durante, utplurimum tamen remiſſiori ac breviori: poſtea calorem inducit, vehementiorem ordinarie: quem ſequitur ſudor, aut parcior aut largior; quo tamen calor non, uti fit in intermittentibus, plane evaneſcit, ſed tantummodo miteſcit plus minus, usque ad novi paroxyſmi adventum. Hæcce ergo febris non in una ſerie, aut potius æquali vehementia, procedit, ſed ſtatis temporibus, magis vel minus regularibus, exacerbatur: et paroxyſmi iſti, ſive morbi exacerbationes, vel quotidie ſemel, aut bis, aut ſæpius adhuc invadunt, vel quovis die tertio, quarto, etc. aggrediuntur; atque ſic conſtituunt id, quod autores nominant *quotidianam continuam*, *tertianam continuam*, aliis *Semitertiana* dictam, et *Hemitritæus*; *quartanam continuam*, etc.; ſuntque eo manife-

nifeſtiores proxyſmi atque regulares, quo magis remittens febris ad intermittentem accedit: minus vero diſtincti, et irregulares magis, ſi ad continuam magis deflectat febris.

Cauſa igitur remotior in obſtructione, tam primi, quam ſecundi et tertii generis vaſorum, eſt quærenda; e quibus tamen ſanguiferarum arteriarum obſtructio mediocrem ſemper gradum ſervat.

Plerumque ſub initium magis ad continuas, verſus finem vero ad intermittentes appropinquat: nonnunquam, vel citius vel tardius, in alterutram earum penitus mutatur. Quo ad intermittentem magis vergit, eo minus inducit periculi. Chronica facta, et diutius in gradu remiſſiori durans, *febrem* conſtituit *lentam*.

Medelam poſtulat e medela febrium ambarum, e quibus componitur, mixtam: adeoque medicamenta, contra febrem continuam et inflammationem ſanguineam directa (143. 150), durante æſtu intenſiori: ſpecificum e contrario febrile, ceu intermittentis febris remedium primarium, et attenuantia fortiora (149), quamprimum intermittentis febris faciem aſſumit.

* Generatim hujus febris ſigna, cauſa, prognoſis, medela magis accedunt ad ſigna, cauſam, prognoſin, medelam febris conti-

nuæ, quando ipſa febris remittens potius e continua conſtat, quam ex intermittente: et contrarium obſervatur, quando maximam compoſitionis partem intermittens febris abſolvit.

** Febris remittens, quando *lentam* febrem format, ad continuam magis appropinquat ſemper, quam ad intermittentem: unde et in autoribus lenta febris pro ſpecie continuæ aſſumitur.

*** Vid. Joh. Henr. GLASER. Diſſ. *de menſium ſuppreſſione, et Tertiana notha.* Reſp. Carol. Chriſtoph. *Eiſen.* Baſil. 1673. Joh. Andr. FISCHER. Diſſ. *de Hemitritæo ſive Tertiana maligna.* Reſp. Henr. Daniel. *Aſsmann.* Erford. 1726. Joh. Henr. SCHVLZ. Diſſ. *de Febre Lenta et Hectica.* Reſp. Chriſtian. Eſaias *Seebode.* Hal. 1742. Hieron. LUDOLF. Diſſ. ſiſtens *Catarrhos tanquam cauſas frequentiſſimas febris lentæ.* Reſp. Chriſtian. Wilh. Franc. *Becke.* Erford. 1752.

§. 152.

Febris Catarrhalis, quæ proprie eſt febris continua (150), ſive inflammatoria (153), mitior, cuilibet inflammationi ſanguineæ mitiori (143) ſuperveniens; maxime tamen, et ex uſu loquendi, externis partibus, et in ſpecie membranæ pituitariæ, pharyngi, aſperæ arteriæ, inflammatis jungitur. Conſtat ergo e febre continua, et inflammatione ſanguinea mitiori: atque ſi ſecundum loquendi uſum vulgatiorem ſumatur, e dicta febre

et

et inflammatione commemoratarum partium in specie. In quolibet casu, signa, causa, prognosis, medela febris catarrhalis, cum febris continuae et inflammationis sanguineae mitioris signis, causis, prognosi, medela, in antecedentibus explicatis, nunc sibi invicem jungendis, perfecte coincidunt.

* Ratio, cur speciatim inflammationibus externis accedens febris, dicatur *catarrhalis*, haec est, quoniam inflammationes externae utplurimum sunt mitiores, certe minus periculosae, internis.

** Inflammatio membranae pituitariae causam constituit catarrhi sive coryzae (202); et asperae arteriae inflammatio tussim (213), quae ordinarie catarrho jungitur, generat. Hinc denominatio febris, hisce morbis connexae, *Febris catarrhalis strictius dicta.*

*** Febris catarrhalis, cum proprie nil aliud sit, quam febris inflammatoria mitior; in omnibus casibus, hoc ultimo quoque et essentiali nomine eandem exprimere, fas est (153, *).

**** Vid. Joh. Maximil. Joseph. MÜHLPAUER. Diss. *de Febre Catarrhali, passim hactenus Epidemia.* Altd. 1730. et, quae huc quoque pertinet, Georg. Ern. STAHL. Diss. *de Febre Catarrhali maligna.* Resp. Christian. Ludov. *Fergen.* Hal. 1708.

§. 153.

Febris inflammatoria nil aliud est, quam Febris continua, ad gradum eminentiorem perducta, et cum manifesta inflammatione sanguinea interna graviori conjuncta: verbo, Febris continua gravior. Constat ergo e febre dicta (150), et inflammatione sanguinea (143) graviori, viscus quoddam imprimis obsidente. Adeoque ad eruenda febris inflammatoriæ signa, causas, prognosin, et medelam, febris continuæ et inflammationis vehementioris signis, causis, prognosi, medela, combinatis addendum nihil superest: nisi, quod et hic morbus non in omnibus ægrotis sit æque magnus, sed gradus in eo quoque locum habeant: quod idem tot admittat subdivisiones, quot dantur in corpore partes internæ, inflammationis, quæ in iisdem ordinarie est gravior, capaces: quod generatim majus inducat periculum, quam mitior continua, in qua quippe morbi gradus minor supponitur: quod rarius in suppurationem, sæpius in gangrænam, abeat: quod tandem, quælibet alia methodus majus haud afferat emolumentum, quam quæ in febris continuæ pertractatione est proposita.

* E prædictis liquet, Febrem continuam et Febrem inflammatoriam revera unum eundemque esse morbum: quamvis ultima ordinarie assumatur semper pro febre, in gradu

gradu majori præſente. Et ſane, nulla datur continua febris ſine partis cujusdam inflammatione ſanguinea; adeoque nulla etiam febris continua, quæ Inflammatoriæ nomen non mereatur: licet autores, tantum non omnes, de Inflammatoria febre, tanquam de febre quadam ſpeciali, et a reliquis, hinc et a continua, diſtincta agant.

** Huc pertinent, ab autoribus ſpeciali explicatione narratæ, et in ſequentibus etiam repetitæ pauciſſimis, *Phrenitis*, *Pleuritis*, *Peripneumonia*, *Paraphrenitis*, *Ventriculi inflammatio*, *Febris meſenterica*, *Hepatitis*, *Splenitis*, *Nephritis*, &c. Quæ enim ratione effectuum quorundam, ad diagnoſin ſpectantium; nec non medelæ, imprimis quoad medicamenta externa, intercedit differentia, ſolum partis affectæ ſitum diverſum, aut morbos propter eundem ſitum facile accedentes, reſpicit: cetera vero ſingula eadem ſunt in omnibus. Imo et huc referendæ veniunt *Febris Ephemera ſimplex*, et *plurium dierum* (quæ ultima denominatio abſolutam involvit contradictionem) *Febris Continens*, *Synocha*, *Cauſus*, *Febris compoſita ex acuta periodo*, *Febris nondum typica*, *Febris corrupta*, e quibus autores, ipſeque IUNCKERUS, totidem capita ſeparata conſtruunt. Singulæ namque hæ febres inflammationem partis cujusdam internæ, plus minus manifeſtam, habent pro baſi, uti vel ipſa methodus medendi teſtatur, ab autoribus, in dictis morbis differentiam quandam quærentibus, propoſita.

*** Recentiorum nonnulli contra inflammationes internas, et hinc pendentes febres

bres inflammatorias, discutiendi sive attenuandi scopo, *Camphoram* interne datam laudibus extollunt. Pertinet vero Camphora, prouti id e Materia Medica atque e chirurgicis elucet, ad remedia ea, quæ, præter vim discutientem sive attenuantem, irritationem adhuc sat manifestam exercent, et aërem in sanguine expandendo agunt, hinc etiam solidorum nec non fluidorum motum insigniter augent. Ac e supra dictis constat, quod in febre inflammatoria motus hic jam adsit justo major, adeoque auctus, ut propter augmentum illud ægroto periculosus fiat; hinc quoque minuendus omni conamine potius, quam intendendus. Et quamvis, reserationem canalium obstructorum fortiori fluidorum impetu fieri posse, facile concedatur: quod hic tamen humorum impulsus, ad perficiendam ejus ope attenuationem et canalium reserationem productus, in tali simul subsistere gradu remissiori semper debeat, ut ne ipse detrimenti majoris causa reddatur, itidem et sponte patescit. Ex quibus omnibus sequitur, ut Camphora, sine cujus adhibitione mitiores febres inflammatoriæ toties sanantur; in majoribus ejusmodi morbis, interne data, necessario noceat magis, quam prosit: id quod etiam experientia, rite instituta, comprobat.

Num *Squilla*, ab aliis laudata, *Vomitoria*, etc. tuto adhibeantur, eadem fundamenta, his quoque applicata, facile detegunt.

* * * * Vid. Carol. Frid. KALTSCHMID. Diss. *de Inflammationibus febre acuta stipatis, sive de febribus Inflammatoriis in genere*

nere. Resp. Carol. Adam. *Jannav.* Jen. 1750. Jac. TAPPII Diss. *de febri Ephemera.* Resp. Frid. *Heye.* Helmst. 1662. Guern. ROLFINCK Diss. *de Diaria.* Resp. Georg. Herm. *Bartheldt.* Jen. 1668. Christoph. SCHELHAMMER. Diss. *de Febre Ardente.* Resp. Christian. *Buncke.* Jen. 1646. Joh. Arnold. FRIDERICI Diss. *de Causo seu febre ardente.* Resp. Joh. Jac. *Brunovicensi.* Jen. 1661. Georg. Ern. STAHL. Diss. *de febribus Biliosis.* Resp. Ernest. Petr. *Meuder.* Hal. 1701. Herm. Paul. JUCH. Diss. *de febribus Biliosis.* Resp. Frid. Wilh. *Förstel.* Erford. 1753. G. E. STAHL. Diss. *de febribus compositis ex acuta periodo.* Resp. Carol. Christian. *Achusio.* Hal. 1709. Georg. Wolfg. WEDEL. Diss. *de sudore Anglico.* Resp. Erdmann. *Leupold.* Jen. 1697. P. I. HARTMANN. Diss. *de sudore unius lateris* (115, sch.). &c.

§. 154.

Febris suppuratoria, vulgo *vulneraria* nuncupata, est febris continua, suppurationem in partibus corporis exterioribus obvenientem concomitans, adeoque externo cuidam abscessui aut ulçeri accedens. Constat itaque e febre continua (150), et suppuratione (146) externa: cumque suppuratio nunquam fere non inflammationem, aut mitiorem aut fortiorem, habeat junctam; atque hæc febrem catarrhalem, sive inflammatoriam mitiorem (152), ipsa producat; hinc febris continua, suppuratoriam componens, ex hoc fonte augetur. Causa remotior efficiens est pus

pus in parte ſuppurante progeneratum, cujus portio per vaſa abſorbentia in ſanguinem revertitur, atque, in minimis arteriis ſanguiferis aliisque hærens, ſtaſin ibidem format. Quoniam pars corporis externa opem admittit chirurgicam; hinc ſuppuratoria febris utplurimum ſalutariter terminatur, quin etiam, quamprimum puri liber procuratur effluxus, ſponte quaſi abit: quodſi vero aut abſceſſus prægrandis, aut ulcus, quacunque ratione, fiat inſanabile: tunc et febris ſuppuratoria lethalem corpori tabeſcentiam tandem inducit. Medelam, pariter ac in qualibet febre inflammatoria, anodina, diluentia, refrigerantia, diaphoretica (11.13.14.15), et regimen diaphoreticum, abſolvunt.

Vulnerariæ febris denominatio ortum traxit ex hypotheſi, ac ſi vulnera quævis ſuppuratione ad conſolidationem indigeant. Cum vero iſti opinioni chirurgiæ accuratioris fundamenta repugnent, nomen *ſuppuratoriæ* præferendum eſt.

§. 155.

Febris Hectica, quæ eſt ſuppuratoria febris (154), ſuppurationi partis cujusdam internæ ſuperveniens, nulla ratione a præcedente differt, quoad ſigna, cauſam, prognoſin atque medelam. Prognoſi interim in ſpecie addendum, quod, quando abſceſſus internus

ternus rumpitur, atque pus liberum e corpore exitum invenit, pro vario partis morbosæ situ, per tussim, vomitum, sedes, urinam; tunc febris hectica mitior sit, et superabilis tandem: quodsi vero vel abscessus maneat integer, vel, eo licet aperto, pus effluere nequeat, prouti id in quamplurimis fit visceribus, ductu excretorio carentibus; febris hectica reddatur vehementior, tandemque lethalis; atque mors accedat plus minus tarde, pro visceris mollitie majori vel minori, puris quantitate et qualitate, nec non ægroti diæta regulari aut non regulari: quod eventus lethiferus quoque sequatur, quando pus pro parte quidem, ast non omne educitur, propter visceris a pure consumptionem, ultimato factam: quod tandem in febre hectica, suppuratione visceris incurabili originem debente, non supersit, nisi medela palliativa, (38); quæ adhuc cum prælaudata est eadem, et medicamenta anodina, diluentia, refrigerantia, leniter diaphoretica (11, 13 - 15), suadet.

* E febribus Hecticis ea, quæ pulmonis suppurationi supervenit, et omnium est frequentissima, et tussim (213) habet junctam. Reliquæ, nisi vel pleura, vel diaphragma, vel alia quædam thoracis pars ab inflammatione juncta irritetur, atque exinde irritatio ista ad bronchia transeat aut asperæ arteriæ truncum, nullam secum afferunt tussim.

** Fe-

** Febrem Hecticam in genere nonnulli etiam *Phthysin* vocant: cumque in singulis visceribus suppuratio contingere queat; hinc *Phthysis Pulmonalis*, *Phthysis Renalis* etc. in autoribus fit mentio. Alii interim sub *Phthysis* vocabulo solam potius Hecticam Pulmonalem intelligunt. Alii adhuc Tabem ex alio etiam fonte ortam, atque Phthysin, pro synonimis vocibus habent, e, g. Georg. Gottlob. RICHTER. Progr. *de Phthysi Nervosa*. Gött. 1744.

*** Vid. Joh. Henr. MEIBOM. Diss. *de Phthysi*. Basil. 1619. it. Resp. Georg. *Bolmann*. Helmst. 1624. Herm. CONRING. Diss. *de Febre Hectica*. Resp. Joh. Wilh. *Berckelmann*. Helmst. 1659. Henr. MEIBOM. Diss. *de Phthysis curatione per lac*. Resp. Christoph. *Mente*. Helmst. 1687. Joh. GERDES. Diss. *de marasmodica corporis conditione, vulgo Phthoë*. Resp. Henr. *Anhalt*. Rostoch. 1690. Joh. Leonh. MARTINI Diss. *de Phthysi pulmonali, ex intermissa Venæsectione*. Giess. 1696. Georg. Ernest. STAHL. Diss. *de Febre Hectica, abscessuum internorum comite*. Resp. Christoph. von der *Flott*. Hal. 1710. Christian. VATER. Diss. *de Aegris Phthysicis et Tabidis recte judicandis et curandis*. Resp. Frid. Christian. *Zimmermann*. Witt. 1726. Joh. Henr. SCHULZ. Diss. *de febre Lenta et Hectica* (153***). Paul. Jac. MALOIN, Quæst. Med. *An Sagou Phthysicis prodest?* Resp. Claud. Carol *de Jean* Aff. Paris. 1734. Joh. IUNCKER. Dissert. *Cur in Phthysi consummata interdum tussis nulla sit*. Resp. Georg. Frid. Faber. Hal. 1744. Nicol. ROSEN. Diss. *de dignoscenda et curanda imminente Phthysi Pulmonali*. Resp. Abrah. *Back*. Upsal.

Upsal. 1740. Joh. Ludov. REICHMANN. Diss. *de Phthysi Pulmonali.* Gœtt. 1744. Christian. Gottfr. STENTZEL. Diss. *de Tabis et Phthyseos convenientia ac differentia.* Resp. Georg. Christoph. *Fimmler.* Witt. 1744. Carol. Frid. KALTSCHMIED. Diss. *de Phthisi Pulmonali, ejusque præservatione.* Resp. Phil. Bernh. *Pettmann.* Jen. 1751. &c.

§. 156.

Febris gangrænosa sive *putrida*, est febris continua, gangrænæ partis cujusdam, sive externæ sive internæ, accedens. Constat ergo e gangræna (147): nec non e febre continua (150), quæ ultima, cum gangræna ad minimum inflammationem sanguineam habeat junctam, imo et in externis partibus aliquando suppurationem quoque, duplo triplo major ægrotum vexat, quam cui gangræna sola originem dat. Diagnosin signa amborum morborum conjuncta suppeditant. Causam remotiorem producunt particulæ putrefactæ, quæ, e parte mortificata per absorbentia vasa in sanguinem delatæ, hujus et reliquorum humorum resolutionem, atque sic portionum crassiorum subsistentiam in arteriolis sanguiferis, aliisque, inducunt. Particulæ corruptæ, nisi quantocius per sudorem, urinam, aut aliam commodam viam excludantur, atque sic removeantur, totum tandem sanguinem adeo putredine inficiunt,

corrumpuntque, ut ad circulationem reddatur plane ineptus (99.): atque ſic febris putrida fit lethalis, id quod ſemper et brevi contingit in gangrænis *internis*. Medela, ſi quæ ſupereſt, a febris cujuscunque continuæ medela nil quicquam differt.

Vid. quæ huc referenda veniunt, Frid. HOFFMANN. Diſſ. *de Putredinis doctrina, amplisſimi in med. uſus.* Reſp. Gottlieb Benj. *Berger.* Hal. 1722. Henr. MEIBOM. Diſſ. *de febribus malignis.* Reſp. Joh. Gabriel *Schmidt.* Helmſt. 1679. Frid. HOFFMANN. Diſſ. *de malignitatis natura et origine in morbis acutis.* Reſp. Jacob. Frid. *du Fay* Hal. 1695. Georg. Ern. STAHL. Diſſ. *de malignitatis, præcipue febrilis, indole.* Reſp. Conrad. Burchard. *Vogther.* Hal. 1702. Joh. Henr. SCHULZ. Diſſ. *de febrium malignarum indole et curatione.* Reſp. Andr. FROHN. Hal. 1740. Anton. FERREIN Quæſt. Med. *An febri malignæ Veſicantia?* Reſp. Anton. *Bergier.* Aff. *Paris.* 1741. Carol. PAYEN Quæſt. med. *An frequentior hodie, quam olim, febris maligna?* Reſp. Joh. Steph. *Guettard.* Neg. *Paris* 1741. Claud. DE LA VIGNE DE FRECHEVILLE. Quæſt. Med. *An noxia, Febri malignæ, vomitoria?* Aff. Reſp. Claud. *Bourdier.* Paris. 1744. Mich. Ludov. VERNAGE Quæſt. Med. *An malignæ febri Saphenæ ſectio, Emeticum?* Reſp. Franc. Nicol. *Gautier du Rocher.* Aff. *Paris.* 1744.

§. 157.

Febris putridæ alia exſurgit ſpecies, quando

do in primis viis, præſertim inteſtinis, ſaburra accumulatur putrida (237). In hac ergo conveniunt febris continua, et ſaburra primarum viarum putrida: cujus ultimæ particulæ quædam, cum chylo per vaſa lactea, et, absque eo, per abſorbentes venas, in ſanguinem perventæ, diſſolutionem et ſtaſin poſt ſe trahunt (156). Febris ipſa præcedenti eſt mitior, quoniam ſaburra dicta non eſt morbus adeo vehemens, quam gangræna. Medela vero cum medela præcedentis plane eſt eadem.

Huc pertinet Febris, *Synochus putrida* autoribus dicta; itemque *Febris meſenterica* nonnullorum: de quibus vid. Guern. ROLFINCK. Diſſ. *de Synocho putrida.* Reſp. Hermann. *Schüsler* Jen. 1666. Chriſtoph. Mart. BURCHARDI. Diſſ. *de febribus meſentericis acutis.* Reſp. Joh. Godofr. *Sonnenkalb*, Roſtoch. 1726.

§. 158.

Febris exanthematica eſt febris continua (150), efflorefcentiæ cutaneæ, id eſt, maculis in cute obvenientibus inflammatis, *exanthemata* dictis (160), adveniens: adeoque e dictis hiſce morbis ambobus compoſita. Tot admittit diſtinctiones, quot dantur exanthematum genera varia; et ab iisdem ſpecialiorem denominationem mutuat. Adeoque febris *purpurea* ſive *miliaris* audit, quæ purpuram

albam et rubram concomitatur: *morbillosa*, morbillis; variolis, *variolosa*; petechiis, *petechialis* accedit: *catarrhalis petechizans* dicitur, quando febri catarrhali, vel proprie vel strictius appellatae (152), exanthemata, ad praedicta, et speciali nomine insignita, non referenda, junguntur. Reliqua febrium exanthematicarum species, pariter ac efflorescentiae hae cutaneae ipsae, sub *nomine generali* comprehunduntur commode: ulterior saltem, quae in autoribus prostat nonnullis, divisio, e. g. *febris scarlatina*, *urticea* &c. in praxi clinica usum habet nullum. Quarumlibet signa, causae, prognosis atque medela, signa, causas, prognosin, medelam febris continuae atque exanthematum, ad ejus compositionem venientium, sequuntur unice et sine ulla mutatione.

* Febribus exanthematicis haud raro alii quoque morbi accedunt, epilepsia, (141), haemorrhagiae (170), angina (210), vomitus (235), diarrhoea (246) &c. qui quamvis ab autoribus interdum habeantur pro circumstantiis essentialibus, non tamen nisi accidentaliter junguntur: et in hoc casu sua signa, causas, prognosin, et medelam quoque adducunt.

** Vid. Georg. Ern. STAHL. Diss. *de Erroribus practicis circa contagiosarum malignarum febrium curationem evitandis.* Resp. Georg. Frid. *Steiner.* Hal. 1713. Joh. Jacob. FICK. Diss.

Diff. *de febri vesiculari ab obstructione lochiorum.* Resp. Henr. Christoph. *Gernhard.* Jen. 1726. Andr. Ottom. GÖLICKE. Diff sistens *Observationes aliquot Practico-Clinicas circa Febrem Vesicularem.* Resp. Carol. Christian. *Hübler.* Francof. ad V. 1732. Andr. El. BÜCHNER. Diff. *de febre catarrhali inter milites epidemia.* Resp. Ludov. Frid. *Müller.* Hal. 1745.

§. 159.

Reliquarum ejusmodi febrium species singulæ, quarum hinc inde in autoribus fit mentio, e duobus semper constant morbis compositis, e febre scilicet, utplurimum continua, et morbo, cujus nomen simul febris exprimit. Sic *febris scorbutica*, *febris venerea*, *febris pestilentialis*, et, quæ hujus creditur species, *febris hungarica sive castrensis*, itemque *febris hydrophobica*, *febris dysenterica*, denotant febrem continuam, scorbuto, lui venereæ, pesti, hydrophobiæ, dysenteriæ, junctam. Hisce addi potest *febris scabiosa*, ex inflammatione, quam secum ducit scabies, pronata: et omnia sub generali nomine *febrium contagiosarum strictius dictarum* complecti, si placet, queunt. Ad elaborandam ergo harum historiam specialem, signis, causæ, prognosi, medelæ febris continuæ addantur signa, causæ, prognosis, medela scorbuti, lues venereæ, pestis, scabies: et pari modo agatur cum omnibus aliis, hoc loco forte non expresse positis, febribus (148. *).

Vid. Joh. Arnold. FRIDERICI Diss. *de morbo Castrensi seu Hungarico* Resp Jo'. Adam. *Zapffio*. Jen. 1666. Herm. CONRING. Diss. *de febre maligna, vulgo dicta Hungarica*. Resp. Henr. Carol. *Stisser*. Helmst. 1668. Mich. ALBERTI. Diss. *de Morbo Hungariae Hagymáz, ejusque cura praecipue per specificum*. Resp. Joh. Georg *Schüller*. Hal. 1726. Herm. Frid. TEICHMEYER. Diss. *de Morbo Hungarico sive Febre Castrensi*. Resp. Joh. Sigism. *Kreysel*. Jen. 1741.

§. 160.

EXANTHEMATA generatim dicuntur efflorescentiae cutaneae contagiosae quaelibet, id est, inflammationis sanguineae (143) externae species, quarum quaevis maculas rubras, plus minus floridas aut lividas, flavescentes aut coerulescentes, majoris vel minoris ambitus, producit: sive totum corpus simul obsideant maculae, sive unicam tantummodo ejus partem. Componuntur ergo ex inflammatione dicta, et humorum a contagio dissolutione (91.136), quibus tamen ordinarie alii adhuc morbi junguntur (158.*): eaedemque maculae inflammatae, contagioso tempore observandae, morbum patefaciunt.

Praeter diversam formam, aliasque proprietates externas, aspectui patentes, et cuilibet exanthematum generi proprias, distinctio-

ctionem illa admittunt, ab eventu, ad quam natura ſua, tanquam inflammationes, obſervantur proclives, deſumptam. Alia nimirum circa *inflammationem* ſubſiſtunt, atque hæ diſcuſſione terminantur: alia ad *ſuppurationem* vergunt: alia denique ad *gangrænam* deflectunt.

Priora, ſi maculæ minores ſint, denſius poſitæ, adeo ut ſuperficiem partis cujusdam totam obtegant; inſimulque in cute monticulos minimos, inſtar ovorum piſcis, forment, ac præterea vel intenſiorem et æqualem monſtrent ruborem; vel adhuc maculas albas minores, huic rubedini totali hinc inde habeant intermixtas; dicuntur *purpura*: et ſpeciatim, in priori caſu, *rubra;* in ultimo, *alba*; ſive *exanthemata miliaria*. Quæ vero deſcriptam cuti imprimunt rubedinem, absque monticulorum dictorum concurſu, nominantur *ſcarlatina exanthemata*. Quæ tandem maculæ paulo latiores ſunt, manifeſte a ſe invicem ſeparatæ, veſiculis minimis, albis, planis, iis, quas combuſtio ab urtica urente facta relinquit, ſimilibus in medio ſtipatæ, appellantur *exanthemata urticea*.

Alterum genus, maculas a præcedentibus diverſas latioresque ſiſtit, quæ in altum attolluntur, et, poſt aliquod durationis tempus, ad ſuppurationem, plus minus, tendunt:

ac in veſiculas abeunt, vel potiſſimum humore quodam lymphatico plenas, atque *morbilli* nominantur; vel pus verum continentes, et dicuntur *variolæ.*

Ultima tandem maculas gignunt latiores adhuc, præ reliquis malignas, ad gangrænam pronas, adoque lividas potius et coeruleas, quam rubicundas, atque his *petechiarum* nomen eſt impoſitum.

Singulorum cauſam occaſionalem conſtituit contagium aëreum quoddam (136), inflammationes dictas cutaneas producens. Interim diæta nimis calida, et ſanguinis exinde veniens, aut aliunde orta, elaſticitas major (100) atque ebullitio, ſi accedat, exanthematum longe abundantior proventus, quam alias, gignitur.

Omnes inflammationis conſequentias exanthemata ſingula poſt ſe trahere; et quoniam e contagio participant, adſtantes afficere poſſunt. Præcipue tamen febrem exanthematicam (158) generant, pro diverſa ſui natura, vel mitiorem vel vehementiorem: eaque in ſpecie, quæ in ſuppurationem aut gangrænam ruunt, febrem ſuppuratoriam atque gangrænoſam (154. 156) huic jungunt. Quæcunque in inflammatione ſubſiſtunt maculæ, tantum, quam reliqua, pericu-

li

li non habent; ſed utplurimum mitius ad finem decurrunt, niſi cauſa quædam accidentalis in his quoque inflammationem in alium morbum permutet: nec ſuppurantes adeo ſunt metuendæ: periculoſiſſimæ autem fiunt eæ, quæ ad gangrænam vel natura ſua, vel accidentaliter, pertingunt. Adhæc frigore externo, incautius admiſſo, retropulſa convulſionibus (140) viam pariunt: eodem modo aut remediis ſudoriferis ſimilique regimine tractata, et aliquando ſponte, inflammationes internas earumque conſectaria progenerant.

Medela partim reſpicit contagium, blanda diaphoreſi, per ſufficiens tempus continuata, eliminandum: partim humorum reſolutionem, cui incraſſantium (14), et ex illis imprimis acidorum uſus, medetur; partim inflammationem, ſuppurationem, aut gangrænam, cum febribus ipſis junctis, quibus ſingulis conſueta methodus eſt opponenda.

* Exanthemata non modo in corporis ſuperficie prorumpunt, ſed et in aliis partibus, magis *interne ſitis* eveniunt, maxime in iis, quas aër externus attingit, utpote nares internæ, gula, trochea, oeſophagus, ventriculus, inteſtina.

** In *qualibet febre inflammatoria* iis, qui vel humorum acrimonia, (92) vel ſanguinis abundantia (96) ſimul laborant, præſertim

si regimine calidiori et calefacientibus nimium utantur potulentis ac medicamentis, maculæ cutaneæ accedunt, in eo potissimum a prædictis diversæ, quod contagii nihil admixtum adsit.

*** Maculæ inflammatæ *externa remedia* utplurimum postulant nulla, interim in casu necessitatis admittunt, pariter ac suppurantes.

**** In omnibus morbis, aëreo contagio originem debentibus, resolutio humorum coagulantia suadet remedia; admixta vero inflammatio post superatum punctum summum contraria, id est, attenuantia requirit, ceu primaria. Quæ cum ambo simul adhiberi nequeant, *initium fiat* cum coagulantibus; id quod eo felicius succedit, quia et ipsa inflammatio sub initium, et febris juncta, durante fervore saltem, illa quoque postulat: et quamprimum contagium, ceu causa inflammationis, per diaphoresin est eliminatum, adeoque effectus, qui humores in genere respicit, non amplius timendus; *tum demum* restans locale vitium, id est, stasis humorum, inflammationis fundamentum, attenuantibus debelletur. Aliquando et specialis *atonia* (137), quamvis rarius, sese jungit, in quo casu e roborantibus calefacientia (13) omnium prima sumantur (132).

***** Vid. Frid. HOFFMANN. Diss. sistens *ægram Affectu varo scorbutico pustulari laborantem.* Resp. Otton. *Kirstetter.* Hal. 1704. Aug. Quir. RIVIN. Diss. *de Pruritu Exanthema-*

matum ab Acaris. Resp. Joh. Jacob. *Schwiebe.* Lipſ. 1722. Mich. ALBERTI. Diſſ. *de Affectibus Pruriginoſis.* Reſp. Paul. Conrad. *Tſchörtner.* Hal. 1743.

§. 161.

Purpura, exanthematum (160) genus, circa inflammationem ſubſiſtens, pro macularum colore, vel penitus rubro, vel cum albo permixto, in *rubram* diſtinguitur atque *albam*: propter contagium, in cute vel inflammationem ſanguineam ſolam producens, vel ſeroſam atque lymphaticam ſimul. Componitur ex ſanguinis diſſolutione (99) contagioſa, et inflammatione (143-145).

Rubra, quæ eſt multum frequentior alba, imo et utplurimum mitior, unum vel alterum diem, cum paucis inſultibus ſpaſmodicis (139), in variis regionibus corporis ſe exſerentibus, atque cum laſſitudine membrorum, tempore, quo epidemice purpura regnat, afficit: mox cutem, in aliqua illius portione, e. g. in pectore, totam rubore tingit, maculis milii ſemen magnitudine æquantibus, copioſiſſime prorumpentibus, ac ſe invicem attingentibus, cuteque ibidem, in totidem monticulos elevata, anſerinam cutem ſimilitudine referente: rubedine autem in hoc loco ceſſante, quod ſequenti die aliquando fit, collum, deinde caput, et ſic ſucceſſive corpus totum, idem experiuntur.

Alba,

Alba, et præcedenti rarior, et, uti creditur, periculosior, in quolibet maculæ rubræ medio pustulam monstrat albam, minimam, tenui humore plenam lymphatico, aut seroso, propter hic simul præsentem arteriæ aut lymphaticæ aut serosæ, aut venæ ejusdem ordinis, sive destructionem (81. 83), sive dilatationem nimiam (79).

Utraque febrem inducit purpuratam sive miliarem (158): ordinarie quoque faucium inflammationem, tussim, imo et aphthas, aliosque morbos, secum habet vel proxime antecedentes, vel concomitantes. Utplurimum discussione terminatur, nec facile ultra septimanam extenditur, aliquando intra hunc terminum evanescens; et cum largo ordinarie sudore, propter aliqualem foetorem admixtum molesto, nec non cum cuticulæ desquamatione insequente, finiens. Interdum tamen post debellationem, tumores corporis aut partium oedematosos, plus minus rebelles, suppurationes, aut gangrænas particulares (146. 147), aliave mala, relinquit.

Medicamenta non alia, quem generatim proposita, postulat.

* Rubra purpura, cum in eadem quoque ultimato cuticulæ desquamatio sequatur, proprie nuda discussione non finitur: sed in illa quoque humoris serosi inter cuticu-

lam

lam cutemque fit collectio. Interim hujus copia, in qualibet macula seorsim spectata, imperceptibilis efficit, ut ceu nude inflammatæ hæ considerentur.

** Alba purpura puerperis infesta præsertim atque lethalis creditur, quod maxime in febre adjuncta, et cum hac facile connexa visceris cujusdam inflammatione, fundamentum habet: forte et aliquando, propter adhibitum regimen justo calidius ac calefacientia assumpta, male evenit. Alias omnis generis, ætatis, et sexus homines invadit.

*** Vid. Georg. Ernest. STAHL. Diss. *de Febre Petechiali seu Purpurata.* Resp. Joh. Godofr. *Schukio*, Jen. 1685. Georg. Wolfg. WEDEL. Diss. *de Purpura puerperarum.* Resp. Georg. Frid. *Rumpel.* Jen. 1690. Joh. Christoph. Ludov. SEIP. Diss. *de Purpura, morbo antiquo.* Götting. 1741. Joh. Gerard. WAGNER. Epist. *de medicamento quodam ad Puerperarum febres mali moris, imprimis sic dictam purpuratam specifico.* Lübec. 1742. Christian. Georg. Just. VON LÜBCKEN. Diss. *de Purpura retrograda, per vesicatorii ulcus soluta.* Gœtting. 1743. Georg. Erh. HAMBERGER. Diss. *de Exanthematibus, speciatim de purpura.* Resp. Joh. Bened. *Morgenstern.* Jen. 1749. Joh. Georg. GMELIN. Diss. *de Febre Miliari.* Resp. Ulric. Frid. *Varenbüler.* Tübing. 1752.

§. 162.

Morbilli, exanthematum suppurantium (160) species mitior, infantibus potissimum atque

atque pueris,rarius adultis, infesti observantur: compositi e contagiosa sanguinis dissolutione, (99), et inflammatione, utplurimum ad suppurationem vergente. Totam corporis superficiem primo maculis inflammatis latioribus, singulis propriam peripheriam servantibus, ad magnitudinem lentium sensim auctis, plus minus copiosis, obtegit simul; quas febris morbillosa (158), morbi gradui proportionata, concomitatur: quibusque ordinarie spasmi particulares (139) varii, tussis, et oppletio pectoris (213.214), se jungunt. Insimul cuticula in puncto eo, ubi macula hæret, successive in altum attollitur, lentis crassitiem ibidem æmulans; et humore lymphatico, aut seroso, ad veram puris conditionem vix ac ne vix quidem accedente, plena. Post aliquot dies rubedo macularum evanescit sensim; maculæ ipsæ, aut potius cuticula, ibidem exsiccatur tandem, ac sub squamæ forma decidit.

Atque sic utplurimum mitiori decursu morbus ad finem properat, magnam partem discussione terminatus; rarius completam suppurationem (146), aliaque inflammationis confectaria, relinquens. Ordinarie quoque morbilli hominem, durante vita, non nisi semel aggrediuntur, licet et rariora exempla aliquando reiteratas eorundem invasiones pro-

probent. Reliqua omnia cum exanthematibus in genere iidem habent communia.

Præter ea, quæ autores, de Variolis agentes, ſubinde etiam de morbillis adducunt, vid. Joh. Chriſtoph. LISCHWIZ. Diſſ. *de Morbillis.* Reſp. David. Leonh. Reichenbach. Lipſ. 1729.

§. 163.

Variolæ, exanthematum ſuppurantium (160) ſpecies vehementior: et infantibus atque pueris magis, quam adultis, infeſtæ: e contagioſa ſanguinis reſolutione (99), atque ſuppuratione (146) componuntur, cum mox inſequente febre varioloſa (158).

Varias admittunt diſtinctiones. Ex iisdem namque *benignæ* dicuntur, quæ mitius procedunt: *malignæ*, quæ vehementiora ſecum apportant mala. *Regulares* ſtata ſua obſervant tempora; *irregulares* inordinate progrediuntur. *Diſtinctæ*, ſive rariores adſint, ſive copioſiores, majori ſive minori ambitu gaudeant, ſua ſingulæ propria circumſcribuntur peripheria: *confluentes* adeo ſunt copioſæ, et ſibi invicem proximæ, ut in unum plures coeant. *Veræ* ad ſuppurationem ſemper veniunt, omnes huc pertinentes circumſtantias ſecum ducentes, atque eædem ſunt,

de

de quibus hoc loco agitur; *nothæ* non ſemper ſuppurant, in ſequentibus pertractandæ.

Morbus in totali decurſu quatuor obſervat tempora, a ſe invicem diverſa. Primo ſpatio, durante, quod tempus *ebullitionis* cognominatur, cuique quatuor circiter dierum ambitus aſſignatur; ſtatim ab initio, quamprimum ſcilicet contagium corpori ſeſe inſinuavit, et ante variolarum eruptionem, febris continua (150), plus minus gravis, tempore, quo variolæ graſſantur aut graſſari incipiunt, infantem ſive puerum, easdem nondum expertum, infeſtat, præprimis poſtquam locum quendam, morbo infectum, aut e variolis nupere emergentes commilitones, frequentavit: atque febri huic aliquando accedunt, aut ſpaſmi (139), aut motus convulſivi (140), aut hæmorrhagiæ (170), aut vomitus (235), aut tormina (254), aut diarrhoeæ (246), haud raro etiam epilepſia (141); interdum nihil horum evenit, ſaltem notabile nihil, præter lenioris febriculæ præſentiam. Sequenti tempore, cui *eruptionis* cognomen eſt impoſitum, iterumque quatuor dies durante, præcedentibus hinc inde in cute prorumpentes accedunt maculæ, ſive variolæ ipſæ, per iſtud quatriduum ſucceſſive provenire pergentes. Tertio, ſive *ſuppurationis* tempore, adhuc e quatuor dierum numero conſtante, maculæ ſingulæ elevantur, acce-

accedentes ſucceſſive ad lentis aut piſi mediocris dimidii magnitudinem, et pure ſenſim replentur: inſimulque febris, hucuſque nude inflammatoria, in ſuppuratoriam (154) mutatur. Quarta denique periodo, quæ *exſiccationis* tempus, ad morbi finem uſque protensum, conſtituit, adeoque decimo tertio circiter a prima invaſione die, vel puſtula rupta pus effluere ſinit; vel pus ſucceſſive evaneſcit maximam partem, reliquum vero una cum facta puſtula, quæ nihil aliud eſt, quam ipſa cuticula, a cute ſecedens, et a pure in altum ſublata, ſicceſcit ac decidit, id quod iterum quatuor ordinarie dies durat, aliquando autem, præprimis ſi copioſæ adſint variolæ, diutius protrahitur; remanente ſemper in eodem loco cicatrice quadam, plus minus notabili.

Non tamen omnes variolæ ſimul, nec durante eruptionis periodo omnes, proveniunt: ſed aliquando, primis ad ſuppurationem jam jam tendentibus, aliæ ſuccedunt de novo prodeuntes, et conſueta tempora percurrentes; hæ interim, ſerotinæ ſcilicet, prioribus numero ſemper multum ſunt inferiores. Singula etiam tempora adeo accurate dies ipſis dicatos quatuor non obſervant, ut ne minima quidem locum inveniat exceptio; eadem potius interdum diem unum anticipant, aut retrocedunt. Præſertim *eruptionis* pri-

mum initium aliquando adeo benignum eſt, ut totum illud tempus, quoad ſenſum, dicto multum brevius fiat.

Generatim periculo morbillos ſuperant variolæ: infantibus tamen ordinarie adeo non inveniuntur exitioſæ, quam adultis. Cumque inflammatio hic adſit et ſuppuratio, harum quoque conſectaria locum habent: adeoque, inflammatione finita, variolæ, loco ſuppurationis, in gangrænam terminari poſſunt; et ſuppuratio ulterius, quam par eſt, rodere. *Benignæ*, *regulares*, *diſtinctæ*, *rariores*, mitius ſemper ad finem decurrunt: his vero contrariæ, gravioribus circumſtantiis, nec raro morte, terminantur. Et repulſæ propter refrigerationem ſubitam, eo citius inflammationes viſcerum, facile lethales, producunt; cum variolæ non cutim modo, ſed ordinarie etiam primarum viarum ſuperficiem occupent. Utplurimum quoque variolæ hominem, durante vita, non niſi ſemel aggrediuntur: et, ſi plus ſimplici vice infeſtent, parciſſimæ poſteriores ſunt, certe conſuetis multo parciores.

In ſpecie, quando maculæ ſtatim ab initio vel cæruleæ ſunt, vel nigræ, vel, loco elevationis legitimæ atque ſuppurationis, planiores reſtant, ſive ſubſident poſt elevationem prægreſſam, ſive tunc demum colorem ob-

obſcurum aſſumunt, id gangrænæ admixtæ ſignum eſt, et plerumque mali ominis. Diarrhoea, ſub eruptione contingens, inteſtinorum inflammationem probat: interim adeo abſolute, quemadmodum autores nonnulli volunt, non eſt lethalis. Circa ſuppurationis tempus adveniens diarrhoea purulenta, variolis inteſtina eſſe obſeſſa, teſtatur.

Medela haud alia opus habent, quam reliqua exanthemata. Refrigerantia ergo adhibeantur, anodina, acida, regimen diaphoreticum moderatum: ac, ſi ſpecialis virium debilitas adſit, lenia calefacientia. Suppuratio autem, nec non reliqui morbi adjuncti, ſuis quilibet tractentur remediis.

* De *præcavenda noxa, tam a variolis* in genere, quam ab earundem cicatricibus in ſpecie, faciei imprimis metuenda, varia proſtant autorum conſilia, quæ tamen ſingula huc uſque experientia non comprobavit: Vid. Georg. Chr. DETHARDING. Diſſ. *de facie a variolarum inſultibus præſervanda* Reſp. Tobias. Phil. *Hilcken.* Roſt. 1754. ubi ſimul Joh. Godofr. *de* HAHN ſententia nuperrima *de origine variolarum* refutatur. De *inſertione variolarum* autores conſulantur chirurgici.

** Vid. Henr. MEIBOM. Diſſ. *de Variolis et Morbillis.* Reſp Martin. *Horneyer.* Helmſt. 1676. Ej. *de Venæſectionis in variolarum curatione uſu.* Reſp. Juſt. Henr. *Kreienberg.*

 Helmſt.

Helmſt. Georg. Ern. STAHL. Diſſ. *de Variolis et Morbilis.* Reſp. Nathaniel. *Berendt.* Hal. 1709. Conrad. Burcard. VOGTHER. Schediasma *de Variolis adultorum.* Ulm. 1712. Laur. HEISTER. Diſſ. *de Manna, et ſpeciatim ejus uſu in variolis confluentibus.* Reſp. Jul. Bielitz. Helmſt. 1725. Joh. LEMBKE Diſſ. *de Abuſu Sudoriferorum in curatione variolarum, et methodo his medendi per reſolutionem.* Reſp. Ioh. Andr. *Horn.* Gryph. 1733. Ej. Diſſ. *de Cautelis quibusdam practicis, circa curationem variolarum obſervandis.* Reſp. Ioh. Andr. *Gadebuſch.* Gryph. 1735. Chriſtian Gottfr. STENZEL. Diſſ. *de variolis.* Reſp. Gottl. *Schwantes.* Witt. 1742. Ioh. Henr. SCHULZ. Diſſ. qua *de variolis nuper quæſita aliqua expenduntur.* Reſp. Carol. Wilh. *Frauendorff.* Hal. 1742. Joh. JUNCKER. Diſſ. *de ſalivatione Variolarum confluentium critica.* Reſp. Joh. Gottlieb. Ditmar. *Wernich.* Hal. 1744. Simon. Paul. HILSCHER. Diſſ. *exhibens Hiſtoriam variarum methodorum defendendi homines a Variolis, iisdemque medendi.* Reſp. Daniel. a *Raesfeld.* Jen. 1745. Joh. Claud. MUNIER. Quæſt. Med. *An Variolis balneum?* Reſp. Joh. Franc. *Paris.* Aff. *Paris.* 1745. Joh. Stephan. GUETTARD. Quæſt. Med. *An variolis male erumpentibus Venæſectio?* Reſp. Joh. Jacob. *Meſſence.* Aff. *Paris.* 1747. Dionyſ. PAUTIER DE LABREUILLE Quæſt. Med. *An nonnunquam Variolarum morbus abſque eruptione?* Reſp. Jac. *Barbeu du Bourg.* Aſt. *Paris.* 1747. &c.

§. 164.

Variolæ nothæ, variolarum (163) genus, ad ſuppurationem ordinarie non aſcendens, ſed

ſed ex inflammatione potius ſanguinea (143), contagioſa ſanguinis reſolutione (99), cum lymphæ aut ſeri, e ruptis arteriolis aut venis propriis, extravaſatione (81-83), atque, quam poſt ſe trahunt, febre continua mitiori (150), conſtantes: in ſolis veſiculis minoribus, parcioribus, tranſparente humore limpido repletis, conſiſtunt: ex hoc fundamento morbillis potius, quam variolis, a quibus tamen nomen mutuantur, adſcribendæ. Humor hicce aliquando in minima adeſt copia, et vix perceptibilis, quod genus *variolas* conſtituit *ventoſas*: interdum in aliquali accedit quantitate, quod fit in *variolis aquoſis*: tandemque ſi, in utroque genere, veſiculæ ſpecialem figuram aſſumant coniformem, *variolæ* nominantur *cuſpidatæ*. Singulæ ſpecies quandoque ſuppurationis leviora indicia dant, atque tunc in cute cicatrices relinquunt: ordinarie tamen veſiculæ, poſt aliquot dies exſiccatæ, inſtar ſquamarum decidunt: et non modo conſuetis variolis multo ſunt mitiores, ſed etiam omnium exanthematum utplurimum mitiſſima dicenda: iisdem, quibus reliqua, medicamentis ſananda.

§. 165.

Petechiæ, ſtrictius ſic nominatæ, denotant exanthematum (160) genus, præ ceteris ad gangrænam pronum, ideoque a præcedentibus omnibus, effectuum præſertim maligni-

 tate

tate et vehementia, diverſum: conſtans ex inflammatione (143) graviori, contagioſa ſanguinis diſſolutione majori (99), et, quam poſt ſe trahit, febre petechiali (158). Maculæ, quas infert, cutaneæ diverſa gaudent magnitudine, raritate, et, pro morborum admixtorum varietate, diverſo colore; adeoque vel rubræ ſunt, vel lividæ, vel cæruleſcentes, raro flaveſcentes apparent. Non omnes, nec in omnibus ægrotis, æquali vehementia progrediuntur: ſed aliquando mitiores, reſolutione terminantur: haud raro tamen graviores, partibus externis atque viſceribus lethalem inducunt gangrænam (147), et quando hoc ultimum, ipſeque morbus, frequentius contingit, generatim pro peſtis inſequentis prodromo habentur. Medela interim haud alia eſt poſſibilis, quam in reliquis exanthematibus: excepta ea, qua morbi forte adjuncti ſeparatim indigent.

Vid. Godofr. *Moebii* Diſſ. *de Febre Petechiali.* Reſp. Jerem. *Rhet.* Jen, 1658. Joh. Erneſt. SCHAPER Diſſ. *de Febre Petechiali.* Reſp. Georg. Loffhagen. Roſtoch. 1696. Martin. Gotthelff. LÖSCHER. Diſſ. *de febre Petechiali Caſtrenſi et Epidemica.* Reſp. Joh. Gottlob. *Seyffert.* Witt. 1735.

§. 166.

PESTIS, morbus e contagio aëreo (136) omnium ſubtiliſſimo et violentiſſimo pro-

pronatus, quibuslibet corporis partibus æqualiter infestus, et putredinem, aliquando citissimam, producens: componitur e resolutione humorum fortiori(91.99), et inflammatione, vel externa, vel interna, varias ordinarie partes simul occupante, ac vehemenmentiori (143): ex effectibus, tempore contagioso, et a rebus inquinatis orta infectione, dignoscendus.

Causa est contagium pestilentiale, utplurimum e locis infectis, per quaslibet merces, eas præprimis, quæ e lana conficiuntur, vestimenta, aliaque utensilia, nec non homines infectos, propagatum. Interim exhalationes putredinosæ copiosissimæ, e. g. a cadaveribus, vel hominum, post magnas strages legitime non sepultorum, vel brutorum animantium; imo et quævis aliæ res, in majori quantitate sub coelo putrescentes, tempore imprimis æstivo, calido: nec non alimenta putrida, in diuturniori fame generali assumpta, idem ultimato efficiunt.

Febrem gignit pestilentialem (159), singulaque inflammationis, tam externæ, quam internæ, gravioris consectaria. Externe in specie, sub aure, sub axillis, in inguinibus, glandulas lymphaticas inflammatas sistit, in suppurationem ruentes, aut certe ad eandem proclives, et *parotides*, *bubones*, nominatas: in

aliis locis non glandulosis vel petechiæ (165) accedunt; vel majus spatium occupantes maculæ, in gangrænam facile abeuntes, et propter summum, quem inferunt, ardorem *anthraces* dictæ. Ac nisi cito satis contagium, diaphoresi ad largos sudores aucta, expellatur; vel matura bubonum atque anthracum eruptio id præstet, consueti inflammationis internæ gravioris effectus sequuntur. Generatim tamen robustiores personæ tutius hunc morbum, diversos vehementiæ gradus in diversis ægris exercentem, superant, quam imbecilliores.

Medela non alia potest esse, quam in reliquis morbis, contagio aëreo cuidam originem debentibus. Cum vero medicamentorum efficacia sæpissime nimis sit debilis: hinc optima cura consistit in præservatione, quæ melius non instituitur, quam mature fugiendo locum adeo infectum. Alias acida quævis (13), ceu specifica considerantur atque primaria remedia; diversa etiam ad quotidianum usum in autoribus laudantur suffumigia. Anthraces quoque et bubones nulla ratione esse discutiendos, sed ad suppurationem consuetis mediis promovendos, imo et anthraces retrocedentes cauterio actuali esse revocandos, autorum est consilium.

* Pe-

* Pestem in Aegypto, a quotannis inundantis Nili reliquiis putrescentibus *oriri*, et exinde in regiones, primo proximas, deinde remotiores transvehi, communis est opinio et verosimilis.

** *Habitus* medici eorumque, qui peste ægrotorum aut demortuorum habent curam, olim usitatus, et hinc inde in libris depictus, peculiaris, hodie ceu superfluum quid consideratur, imo et varia ex ratione noxium. Omnium optima methodus, separatio domus, plateæ, &c. infectæ ab omni cum reliqua urbe consortio, hodie habetur: de qua, itemque de variis ab autoribus propositis medelarum generibus, heroica aliis usitata, aliis mitiori, consulantur autores *de peste*, qui prostant, quamplurimi.

*** *Febris hungarica* sive *castrensis*, quod nomen febrem contagiosam denotat, in castris, iis maxime, quæ diutius in locis paludosis posita servantur, aut alia ex ratione effluviis putridis repleta sunt, sævientem: vel pesti, cujus species habetur, affines sistit effectus, vel febris petechialis (165) est genus, et sive cum uno sive cum altero ex his morbis, tam ratione signorum, quam causarum, prognosis et medelæ, coincidit.

**** Vid. Hermann. CONRING. Diss. *de Peste*. Resp. Theophil. *Matthæo*. Helmst. 1659. Günth. Christoph. SCHELHAMMER. Diss. *de Peste*. Resp. Daniel. Christoph. *Meineke*. Helmst. 1682. Joh. Godofr. BERGER. Diss. *de Pestilentia vera*. Resp. Abrah. *Vater*. Witt. 1710. Andr. Jul. BÖTTICHER. Diss. *de Peste*.

Resp. Just. Andr. *Richers.* Helmst. 1712. Wilh. Hulder. *Waldschmidt.* Diss. *de singularibus quibusdam Pestis Holsaticæ.* Resp. Christian. *Waldschmidt.* Kilon. 1721. Joh. Henr. SCHULZ. Diss. *de sanguinis missione in pestilentia.* Resp. Ernest. Emmanuel. *Guttorf.* Altdorf. 1725. Joh. Damian. CHEVALIER. Quæst. Med. *An Pestis curatio præsertim ex symptomatis?* Resp. Ludov. *Pathiot.* Aff. *Paris* 1744. Mich. Phil. BOUVART. Quæst. Med. *An acida Pestis antidotum?* Resp. Ludov. Joh. Baptist. *Cosnier.* Aff. Paris. 1749. &c.

§. 167.

SCABIES morbum denotat a corporeo quodam contagio ortum (136), cuti præ ceteris corporis partibus infestum, inque eadem maculas inflammatas minores, in ulcuscula abeuntes, producentem: e contagiosa humorum spissitudine (98), et inflammatione atque suppuratione cutanea (143. 146) compositum. Sola præsens, nec nimia, *benignæ* cognomen habet: atque hæc pro ulcusculorum, vel cum solo humore limpido, vel cum pure repletione, subdistinguitur in *siccam* et *humidam.* Si vero alii cuidam morbo contagioso, quod nonnunquam fit, juncta observetur, e. g. aut lui venereæ (168) aut scorbuto (169), dicitur *maligna*, efficitque *scabiem scorbuticam*, *scabiem veneream.* Utraque hæc ultima, in gradu eminentiori præsens, autoribus nominatur *ferina.* Quæ om-

omnia, una cum effectibus et causa occasionali, consistente in solo contagio scabioso, per inquinatas personas, vestimenta, lectos, præsertim vero linteamina inquinata, propagato, morbi diagnosin præbent.

Inflammatæ istæ maculæ, post attactum personarum aut rerum infectarum, sine alia causa accedente, potissimum in interstitiis radicum digitorum manus atque pedis sese manifestant, cum insigni pruritu et ardore, qui nocte, aut post quamcunque aliam incalescentiam, nec non scalptione, augetur. Ipsa loca inflammata vesiculas contrahunt minimas: quæ, vel sponte post aliquot dies, vel frictione disruptæ, serum fundunt rodens, acre, brevique escharam sive crustam quandam formando, exsiccantur; restante nihilosecius inflammatione ac pruritu, prouti fit in scabie *sicca*; vel in medio inflammati spatii vera oriuntur ulcuscula, plus minus cito siccanda, aut diutius verum pus fundentia, non tam ardore, quam potius dolore, molesta, et *humidam scabiem* formantia. Singulis post factam consolidationem aliæ semper succedunt ejusmodi inflammationes, donec tandem tota corporis superficies iisdem obtegatur. Graviori quoque malo adveniunt interdum unguium aspredo, et capillorum defluvium.

Maculæ omnes inflammationis atque suppurationis effectus, hinc et febrem continuam, quæ *scabiosæ* cognomen meretur (159),

(159), poſt ſe trahunt: interim ad gangrænam raro tendunt. Quicunque vitam vivunt ſedentariam, ac alimentis ſale conditis abutuntur: ii facilius contagio illo afficiuntur, quam qui contrarium obſervant. Interim continua cum ejusmodi perſonis inquinatis conſuetudo, qualis e. g. in Orphanotrophiis locum habet, id tandem efficit, ut, poſt ſemel ſuperatam ſcabiem, contagium haud facile amplius inficiat. Sub initium, ubi altiores nondum egit radices, non adeo difficulter ſcabies ſuperatur: ſucceſſu vero temporis, et chronica facta, non modo difficulter exſtirpatur, ſed etiam facillime redit. Retropulſa quoque incaute, præcordiorum anguſtiam, ſpasmos (139), convulſiones (140), viſcerum inflammationes (142), tumores oedematoſos (172), paralyſin (195), aſthma (214), inducere poteſt.

Medela ægroti a reliquis ejusdem familiæ perſonis ſanis ſeparationem, et ut æger ſua habeat utenſilia propria, imprimis linteamina, poſtulat: quo facto attenuantia et leniter ſudorifera decocta (14. 15) in uſum ducantur; tandemque ſpecifica, nempe ſulphuris flores, et in malo graviori fortiſſima aperientia (12), interne æque ac externe in uſum ducta. In robuſtioribus quoque ægrotis ſudatio, vel humida, balneorum atque inſeſſuum ope promovenda, vel ſicca, præcedens

cedens, itemque insequens lotio corporis cum lixivio communi, salutariter adhibetur. Externe sicca speciatim scabies emollientia requirit: humida vero, exsiccantia, balsamica, et quæ præterea suppurationi conveniunt, chirurgica.

* *Lepra*, quam autores nonnulli a scabie subdistinguunt, nil aliud denotare potest, quam maximum scabiei, imprimis malignæ, gradum. Ea namque lepra, cujus in sacro codice fit mentio, hodie non amplius existit, quod circumstantiæ, ipsi olim annexæ, probant.

** Vid. Georg. Wolfg. WEDEL. Diss. *de Scabie*. Resp. Joh. Ludov. *Neuenbahn*. Jen. 1674. Mich. ALBERTI. Diss. *de Scabie*. Resp. Christian. Adam. *Gorn*. Hal. 1718. Rudolph. Jac. CAMERAR. Diss. *de Scabie periodica particulari*. Resp. Petr. *Keck*. Tübing. 1701. G. Wo. WEDEL Diss. *de Herpete*. Resp. Georg. Dieteric. *Hieronymi*. Jen. 1703. Bernh. ALBIN. Diss. *de Elephantia Javæ nova*. Resp. Joh. Christian. *Mentzel*. Franc. ad V. 1683. Casimir. Christoph. SCMIEDEL. Diss. *de Lepra*. Resp. Joh. Christian. *Voigt*. Erlang. 1750.

§. 168.

LUES VENEREA, morbus e contagii corporei (136) quodam genere originem trahens, partibus generationi dicatis, et glandulo-

dulosis præsertim, aliisque externis noxius: in iisdem inflammationes et suppurationes varias (143.146), rarissime gangrænas (147), producens: ex humorum spissitudine (90) contagiosa, et inflammationibus aut suppurationibus dictis, constat: ac potissimum e causa occasionali, itemque ex effectibus, dignoscitur. Causam constituit contagium venereum, ab infecto quodam homine communicatum, frequentissime per congressum cum persona impura; raro per decubitum in lecto, lue inquinato; rarius adhuc per oscula, per vestimenta, lue immunda, aut per viam aliam.

Per coitum communicata lues in pudendis, mox a congressu, inflammationes varias producit, gonorrhœam virulentam (274), nec non *bubones venereos*, sive tumores inflammatos glandularum inguinalium: quorum ambo ultimi morbi diutius soli ægrotum vexare possunt: suppressi vero, aut illegitime tractati, virus corpori toti communicant. Atque tunc, cum proxime insequente venerea febre (159), inflammationes, suppurationes et excresentiæ diversæ oriuntur, primo in locis partibus generationi dicatis proximis, circa anum, et potissimum in glandulis inguinalibus vicinis; deinde et sub axillis, ac in reliquis partibus glandulosis quibuslibet: in ore præsertim ac faucibus

bus accedunt raucedo (212), inflammatio, et ulcera plus minus profunda, dulcescentem valde nauseosum odorem spirantia, nec adeo ac in scorbuticis sanguinolenta, sed unctuosa ferme, saniem potius aquosam, albidiorem, aut materiam versicolorem, quam pus verum, fundentia; et raucam ingratam vocem post se trahentia; quae remediis consuetis non obtemperant, sed brevi post consolidationem, vel in eodem loco, vel alibi, denuo propullulant; qualia et in facie, naso, reliquaque corporis superficie hinc inde, et in genitalium tegumentis parva, chronica, prorumpunt. Totum praetera corpus scabie afficitur venerea (167): torpore, lassitudine; et dolore artuum gravativo, noctu praesertim cum ardore molesto, nonnunquam intolerabili, ac medullae ossium quasi inhaerente. Adveniunt porro interdum spastici motus varii (139); color faciei luridus; et pallor, orbitam in specie circumdans; cephalalgia chronica (177), tumores saccati diversi; tandem caries ossium, ac circa caput, alibique, variae exostoses; capillorum defluvium, nonnunquam mollities ossis inconsueta (85), et ultimato partium internarum inflammationes, earumque consectaria. Speciatim, in suppurationibus externis, membrana corrumpitur adiposa, adeo ut integra nonnunquam illius frusta secedant, et extrahi possint.

Prae-

Prædicta omnia, exceptis genitalium affectibus, eveniunt quoque, quando non per congressum, sed per aliam, minus consuetam, viam contagium propagatur.

Lente serpit ordinarie malum, et, antequam ad summum perveniat punctum, annos quandoque integros durat. Ac, quæ per vias minus solitas communicatur lues, altera, per coitum provocata, in eo est periculosior, quod in tali casu malum nec ægrotus nec medicus, ante vehementiorem gradum acquisitum, suspicentur facile.

Medelam in malo leviori quidam absolvere tentant *cura sudatoria*, quæ, hauriendo decocta attenuantia (14), cum addito antimonio crudo, partim; partim sudorem vel in lecto, vel in sudatorio, fortiorem proliciendo, idque iteratis vicibus, instituitur. Tutissimum interim, et specifica efficacia juvans, remedium est mercurius; qui edulcoratus in morbi gradu leviori, parcioribus dosibus, una cum intermixtis laxantibus, in usum ducitur: ac in graviori malo vel ore assumptus, dulcificatus; vel vivus, pinguedini immixtus, et articulis illinitus, quotidie, ad excitatam salivationem usque, adhibetur: una vel altera ratione per tempus sufficiens continuandus, id est, donec morbus exstirpatus fuerit plenarie.

* Contagium venereum, per Hiſpanos primum *ex America* adductum, atque in bello Neapolitano ad Gallos, et ab his ad reliquas Europæ gentes translatum, diverſa exinde inter varias gentes habet nomina. Interim et dantur autores, qui ejus originem ex antiquiſſimis temporibus deducere ſatagunt.

** Contagium venereum, quod eſt cauſa ſpiſſitudinis humorum et effectuum inde venientium, pariter ac quodlibet aliud contagium, non niſi per diaphoreſin exturbatur (136): eoque expulſo, effectus ceſſant neceſſario (34): hinc fundamentum et poſſibilitas *medelæ ſudatoriæ*, absque mercurii concurſu. Sudor vero contagium, humoribus implicatum, expellens fortior ſemper requiritur; cujus gradum ſufficientem ſæpenumero noxa, e ſanguinis motu adeo aucto, debilioribus præſertim, metuenda, variæque aliæ circumſtantiæ, ſimul præſentes, vetant: hinc *mercurius* in quamplurimis ægris præfertur, qui ſcilicet humores diſſolvendo, exitum contagio faciliorem præſtat per cutis emunctoria. Atque id ipſum de *ſcabie* quoque, ceterisque *contagiis* ſingulis, quoad eorum medendi methodum, valet.

*** Salivatio partim viſcerum ſupponit integritatem, cum ſine hac circumſtantia nunquam non funeſtum habeat exitum: partim varias obſervandas ſimul poſtulat regulas, una cum reliquis, minus uſitatis, minusque ſecuris, medelarum generibus, in

auto-

autoribus, qui *de lue venerea* ſcripſerunt, permultis abunde deſcriptas.

**** Loco ſalivationis mercurius aliquando aut *ſudorem* ciet copioſum, aut diarrhoeam, aut vomitum, et nihilominus hac quoque ratione morbum exterminat: cujus rei exempla, inter alios, collegit Joh. Theod. ELLERVS in *Obſervat. Medico-Chir.*

***** Vid. Guern. ROLFINCK. Diſſ. *de lue venerea.* Reſp. Martin. *Willich.* Jen. 1666. Joh. Dan. MAJOR. Diſſ. *de uſu et abuſu Mercurii in lue venerea.* Reſp Joh. Nicol. *Schippel.* Kil. 1673. Georg. Ern. STAHL. Diſſ. *de ſcorbuti et Venereæ luis diverſis ſignis et medicinis,* Reſp. Georg. Dan. *Thebeſio.* Hal. 1706. Conrad. JOHREN. Diſſ. *de Mentagra.* Reſp. Frid. *Sartorio.* Franc. ad V. Laur. HEISTER. Diſſ. *de Chirurgorum erroribus in curandis morbis venereis.* Reſp Joh. Jacob. *Schmid.* Helmſt. 1728. Joh. Michael. BOEHM. Diſſ. *de morbo, dicto Neapolitano.* Argent. 1738. Mich. PEAGET. Quæſt. Med. *An Luis Venereæ curationi per frictum potius, quam per ſuffitum faveant medicæ obſervationes?* Reſp. Carol. *Dionis.* Aff. Paris. 1738. Gedeon. DE RABOURS. Quæſt. Med. *An in Lue venerea parciores et longius diſſitæ Mercurii doſes plenioribus crebrioribusque anteponendæ?* Reſp. Joh. Ludov. *Baude de la Cloy.* Aff. Paris. 1739. Carol. DIONIS. Quæſt. Med. *An Syphilidi conveniat ſuffumigatio recens?* Reſp. Natal. Maria *de Gevigland* Aff. Paris 1741. Gedeon DE RABOURS. Quæſt. Med. *An Ptyalismus frictionibus mercurialibus provocatus, perfectæ luis veneræ ſanationi adverſetur?* Reſp. Andr. *Cantwel.* Aff. Paris. 1741. Joh. MIDY. Quæſt.

Quæst. Med. *An Syphilis per frictiones mercuriales, absque ulla excretione, nisi fere insensibili, sanabilior?* Resp. Ludov. Renat. *Desbois.* Aff. Paris. 1741. Christian. Gottfr. STENZEL. Diss. sistens *casus aliquot hominum a lue Venerea per salivationem curatorum.* Resp. Joh. Phil. *Klipsch.* Wittenb. 1742. Herm. Paul. JUCH. Diss. *de causa luis venereæ proxima.* Respond. Mich. *Weber.* Erford. 1743. Andr. El. BÜCHNER. Diss. *de gravissimo luis Venereæ symptomate, tortura nocturna.* Resp. Jac. Frid. *Franck.* Hal. 1744. Ludov. Renat. MARTEAU Quæst. Med. *An in curanda lue venerea suffumigia rite adhibita, remedium optimum?* Resp. Natal. Andr. Joh. Baptist *Chesnau.* Aff. Paris. 1745. Joh. Jac. BAIER. Diss. *de abusu purgantium in morbis venereis.* Altd. 1749. Carol. DIONIS Quæst. Med. *An incerta luis Venereæ curatio, absente medico?* Resp. Jacob. Ludov. *Alleaume.* Aff. Paris. 1749. Bernh. ALBIN. Diss. *de salivatione mercuriali.* Resp. Georg. Conr. *de Horn.* Franc. ad V. 1689. Joh. Ern. HEBENSTREIT. Diss. *de Usu hydrargyri interno.* Resp. Christoph. Frid. *Sartorio.* Lips. 1735. Wilh. Christian. HOFFMANN. Diss. *de Salivatione mercuriali.* Gissæ 1743. Joh. Frid. SCHRÖDER. Diss. *de medicamentis salivantibus, eorumque in corpus humanum agendi modo.* Hal. 1743. &c.

§. 169.

SCORBUTUS, aliud quoddam contagium corporeum (136) pro basi agnoscens, tibias præsertim atque gingivas afficit, in prioribus maculas amplas inflammatas, cæruleo colore conspicuas, in ultimis inflamma-

tionem quoque, ad gangrænam vergentem, generans: et hiſce potiſſimum ſignis dignoſcendus: e contagioſa humorum ſpiſſitudine (90. 98.), ac inflammatione dicta (143) componitur.

Contagii ſcorbutici, quod hujus morbi cauſam conſtituit, occaſionalis iterum cauſa fit continuus alimentorum, aſt et ſimul corruptorum, uſus; quorum particulæ putridæ, chylo commixtæ, hunc corrumpunt tandem, et intra corpus, præſertim ſi accedant aëris ambientis effluvia putrida, ſcorbutum gignunt. Hic, ſemel ea ratione productus, brevi indolem aſſumit contagioſam: et aliis, eorum præprimis, qui eandem vitam vivunt, prompte ſeſe inſinuans corporibus, ſimilem producit morbum, eumque tunc maxime per contagium. Unde et illis nunquam non contingere ſolet, qui diuturna per mare itinera, e. g. ad Indos orientales, ſuſcipiunt, aut expeditionibus bellicis interſunt; ſi ipſis tandem alimenta bonæ notæ deficiant, ut ideo cibis ſale conditis atque corruptis, inſimulque aqua ſemiputrida, vitam ſuſtinere cogantur: quamvis et alios interdum ægros, ex alimentis præſertim minus congruis, cum accedentibus cauſis aliis, humorum corporis vitia incurrentes, ſporadice invadat.

Laſſi-

Laſſitudinem membrorum inſignem inducit; virium defectum; ſpasmodicos inſultus varios, et inter eos dolorem vagum, tranſitorium, aut gravativum, aut plus minus acutum, artus præſertim eorumque articulos, idque diu noctuque æqualiter, infeſtantem: tandem inflammationes, tam exterius in corpore hinc inde, quam interius obortas, et ſpeciatim in primis viis; cum febre ſcorbutica (159); ſolitisque inflammationum conſequentiis: et ex his ultimis ulcera ſanguinolenta, putredinoſa, atque viſcerum indurationes (175): porro ſucceſſivam corporis tabem; aliquando oſſium duritiem inſolitam (85); aut ſalivam ſalſam (119), aut raucedinem (212). Præprimis vero, et quaſi ſpecifice, gingivarum et reliqui oris interni anterioris, gingivis vicini, primo laxitas oritur eximia; promtiſſimaque eorundem, poſt leviorem quemvis attactum cruentatio; ac denique ſuccedentia ulcera maligna, foetentia, cum ſalivatione (118), matutinis præſertim horis moleſta, ac dentium, oſſiumque vicinorum carie; quod vitium totum autores vocabulo *ſtomacaces* exprimunt: nec non in tibia anteriori maculæ latiores, vel rubræ, vel lividæ, vel cæruleæ, poſt perpeſſos atrociſſimos dolores prorumpunt: una cum *ſcelotyrbe*, ſive dolore oſſium interiora et medullam quaſi occupante.

Generatim tarde procedit malum: citius interim in illis augetur, qui desides sunt, et statim a morbi initio vitam agunt sedentariam: in laboriosis e contrario lentius multo augescens. Et inveteratum factum valde est pertinax.

Medela in eo potissimum consistit, ut, remotis alimentis corruptis, corpus recentibus nutriatur esculentis potulentisque: quibus e classe acrium mitiorum (11) olera recentia, sive herbæ *antiscorbuticæ* dictæ, frequentes addantur; cochlearia videlicet, nasturtium, beccabunga, et raphanus rusticanus. Singula enim hæc, aut eorundem succi expressi, specifica virtute scorbutum sanant: interim et reliqua etiam attenuantia (14) locum habent.

* JUNCKERUS *libr. cit.* Tab. LXIX. in *Method. med.* distinguit inter dispositionem scorbuticam, quam et *incipientem scorbutum* nominat, ac scorbutum verum, sive, quod idem est, scorbutum ipsum: quod tamen superfluum, quoniam incipiens quidam morbus, licet gradum adhuc obtineat levissimum, jam jam sit ipse morbus.

Alii nonnulli medici, e. g. præter antea jam commemoratum BONTEKOE (27,*), Joh. Nicol. PECHLINUS in *Obs. Phys. Med.* quamlibet in cute obortam efflorescentiam pro scorbuto assumentes, scorbutum ubique immisceri volunt aliis morbis, atque sic fingunt *Arthritidem scorbuticam*, *Colicam scorbuti-*

buticam, *Febrem scorbuticam* a prædicta diversam, &c. Quorsum ergo pertinent Guern. ROLFINCK Diss. *de febre tertiana scorbutica*, Resp. Godofr. *Schulz*. Jen. 1669. Joh Petr. WELCKER. Diss. *de Arthritide vaga scorbutica* Giess. 1663. Henr. MEIBOM. Diss. *de Arthritide vaga scorbutica*. Resp. Joh. Jacob. *Gottfridi*. Helmstaedt. 1668. Georg. Wolfg. WEDEL. Diss. *de Arthritide vaga scorbutica*. Resp. Christian. Ernest. *Clauder* Jen 1674. Conrad. JOHREN. Diss. *de Arthritide vaga scorbutica*. Resp. Christoph. Henr. *Gabrliep von der Müllen*. Franc. ad V. 1706. Georg. Wolfg. WEDEL. Diss. *de Colica scorbutica*. Resp. Carol. Frid. *Nester*. Jen. 1688. Joh. Theod. SCHENCK. Diss. *de Malo hypochondriaco scorbutico*. Resp Godofr. *Schultz*. Jen. 1670. Aug. Quirin. RIVIN. Diss. *de Tabe Scorbutica*. Ej. Diss. *de Paralysi scorbutica*. Vid. Ej. Diss. Med. Diss. XXIX. XXX. Frid. HOFFMANN. Diss. de *Affectu raro scorbutico-pustulari*. (160.*****). Ioh. Christian. STOCK. Dissert. *de scorbutica purpura*. Resp. Ioh. Frideric. *Fasel*. Ien. 1744. &c. Verum enim vero experientia, rite instituta, G. E. STAHLII verbis assentitur, in Diss. *de multitudinis remediorum abusu*. Resp. Barthold. *Wichers*. Hal. 1708. habit. §. XIV. „Cacochymia, dicentis, scorbutica innumeris „vicibus inculpatur, ubi in rei veritate non „existit.

** Scorbutum *maris balthici accolis non esse endemium*, contra vulgarem opinionem, affirmat Christoph. Mart. BURCHARDUS in speciali super hac materia *Dissertatione*, Rost. 1735. habita. Resp. C. E. *Eschenbach*.

*** Præter antea jam commemorata, Vid. Christoph. TINCTOR. Diss. *de Scorbuto Prussis jam familiari.* Resp. Ioh. *Masio.* Regiom. 1639. Zach. BRENDEL. Diss. *de Scorbuto.* Resp. Joh. *Placcio.* Jen. 1634. Guern. ROLFINCK. Diss. *de Scorbuto.* Resp. Ioh. Laurent. *Loël.* Jen. 1668. Joh. Henr. HEUCHER. Diss. *de Cautionibus in curando scorbuto necessariis.* Resp. Joh. Godofr. *Jung.* Witt. 1712. Joh. Adolph. WEDEL. Diss. *de Scorbuto.* Resp. Conrad. Frid. *Tieffenbach.* Jen. 1734. Georg. Gottlob. RICHTER. Diss. *de Scorbuto.* Resp. Herm. Christian. *Sartor.* Gôtting. 1744. Cum Progr. annexo de *Hippocraticis scorbuti antiquitatibus.* Georg. Erh. HAMBERGER. Diss. *de Scorbuto frigido.* Resp. Joh. August. Wilh. *Lezio.* Jen. 1751. &c.

§. 170.

HÆMORRHAGIA, id est, effluxus sanguinis nimius e parte quadam corporis, adest, quando sanguis vel in qualibet copia provenit, unde naturaliter exire plane non debet; vel in majori, quam decet, quantitate fluit e locis, e quibus naturaliter quidem, ast in copia medicori, prodire ipsum fas est. Atque componitur, vel ex arteriarum omnis generis dilatatione (80), vel e vasorum sanguiferorum ruptione (81. 83); et simul e plethora speciali sive sanguinis congestione (96), cum hujus elasticitate nimia (100).

Pro diversitate locorum, unde venit, varias admittit distinctiones et nomina specialio-

aliora. In *hæmorrhagia narium*, ſanguis e naribus defluit. *Hæmoptyſis*, ſanguinem e pulmone per os rejectum denotat: *Vomitus cruentus*, illum e ventriculo prodeuntem: *Hæmorrhoides nimiæ*, ex inteſtino recto: *Mictus cruentus*, e veſica urinaria: *Menſes nimii*, e vagina et utero. *Hæmorrhagia uteri*, ex iisdem partibus, quolibet alio, quam conſueto menſium tempore; nec non in gravidis: *Lochia* nimia, in puerperis contingunt. Reliquæ ſpecies nomen generale retinent, adjecta partis, e qua ſanguis erumpit, denominatione: atque ſic datur *Hæmorrhagia auris*, *oris*, &c.

Sanguis aliquando ſolus prodit, eumque generatim, an arterioſus, an venoſus ſit, ſigna conſueta (81. 83) detegunt. In ſpecie vero naturalem hunc præ ſe fert colorem, quando ſtatim, ac e vaſe provenit, ejicitur: ubi autem primo in cavitatem quandam influit, ibidemque moram aliqualem trahit, nigricans coagulatus egreditur. Interdum cum alio quodam humore eſt permixtus, quando ſcilicet e tali parte hæmorrhagia contingit, in qua alius quidam humor naturaliter vel ſecernitur vel aſſervatur; quemadmodum id e. g. in veſica urinaria, atque inteſtino recto, fieri notum eſt.

Niſi violentia externa ruptionis canalium ſanguiferorum baſis fuerit, cauſa, exceptis iis, quæ arteriam dilatant, aut plethoræ

ſpeciali occaſionem ſubminiſtrant, aliquando eſt ſanguinis, a quacunque cauſa, motus vehementior, aut ſpaſmus, aut refrigeratio extremitatum inferiorum. Præter reliquos morborum ſpecialium, e quibus componitur, effectus: præſertim ſanguinis quantitatem ultra modum minuit, hinc defectus iſtius conſequentias (97), atque lipothymiam aliquando (181), nec non atrophiam (293,) poſt ſe trahit. Immoderatæ quoque et ſæpius recurrentes hæmorhagiæ nonnunquam hydropi (172) occaſionem ſubminiſtrant.

Medicamenta contra hunc morbum haud alia dantur, quam adſtringentia (12), quæ eo felicius finem ſuum exſequuntur, quo magis partem morboſam immediate attingunt: iisque analeptica, et regimen diaphoreticum, jungantur.

* *Hæmorrhoides*, *menſes*, *lochia*, pertinent ad fluxus ſanguinis naturales: hinc, ad ſtatum eorundem morboſum exprimendum, additur vocabulum, *nimii*, *nimia*: quod in reliquis non fit.

** Vid. Henr. MEIBOM. Diſſ. *de Hæmorrhagia*. Reſp. Henr. *Rademin*. Helmſt. 1684. Chriſtian. Joh. LANGII Diſſ. *de Hæmorrhagia*. Reſp. Henr. *Siegfried*. Lipſ. 1685. Joh. JUNCKER. Diſſ. *de Quadruplici hæmorrhagiarum naturalium reſpectu*. Reſp. Carol. Ludov. *Meckelburg*. Hal. 1746. Maximil. HIERONYMI Diſſ. *de Hæmorrhagiis*. Erford. 1748. Joh.

Joh. Ernest. HEBENSTREIT. Progr. *de Hæmorrhagiis criticis.* Lipſ. 1749. Andr. El. BÜCHNER. Diſſ. ſiſtens *Generalem Pathologiam Hæmorrhagiarum.* Reſp. Joh. Henr. *a Tſchudi.* Hal. 1750. Mich. ALBERTI Diſſ. *de Hæmorrhagiarum complicatione.* Reſp. Gottfr. Chriſtian. *Wilfroth.* Hal. 1752. &c.

§. 171.

Fluxus ſanguinis deficere dicitur, quoties, qui ex aliqua parte effluere debebat ſanguis, ex eadem non prodit: atque, ex hoc fundamento, dantur *Hæmorrhoides ſuppreſſæ*, *Menſes emanentes* et *ſuppreſſi*, *Lochia ſuppreſſa*: ad quos morbos ſingulos conveniunt nimia arteriarum capillarium anguſtia (80); elaſticitas ſanguinis juſto minor (101); et aliquando aut ejus ſpiſſitudo (98), aut defectus (97). Signa ægroti potiſſimum confeſſione patent. Cauſam conſtituunt, præter reliquas ſingulis morbis componentibus proprias, humorum defectus generalis (89), aut partium inferiorum, durante fluxu, intenſior refrigeratio. Plethoram in corpore generat; et, qui exinde ſequuntur, effectus (96); præſertim ſpaſmodicos morbos varios (139). Ac aperientia (12) poſtulat, moderateque calefacientia (13): cum pediluviis et inſeſſibus emollientibus, nec non calidis, pedibus admovendis, aliiſque quæ extus admota humorum impetum ad inferiores partes augent: atque

pro

pro circumſtantiarum ratione, attenuantia (14).

* *Hæmorrhagiæ narium ſuppreſſæ* Stahliani mentionem injiciunt; quam tamen, cum fluxus ejusmodi naturalis nullus detur, eadem mereri nequit. Quod de ipſis etiam *Hæmorrhoidibus* valet, reſpectu hominum illorum, qui easdem regulares non experiuntur.

** Cum prædictæ ſanguinis fluxiones ſingulæ plethoram generalem (96) ſupponant: abſonum foret, deficiente eadem, ejusmodi fluxum vel exſpectare, vel pellentibus, id eſt, diureticis fortioribus (15) provocare velle. Eſt enim in tali caſu plethora primum reſtituenda.

* * * Pediluvia emollientia, atque derivantia, partibus corporis inferioribus admovenda, quo nomine hic, et venæſectio, et cucurbitularum, hirudinum, veſicantium, cauſticorum, uſus indigitatur, ſingula, ceu media externa, ad chirurgiam pertinent, ibidemque ulterius deſcripta inveniuntur.

§. 172.

HYDROPS, qui denotat ſeri in parte quadam corporis collectionem, naturali copioſiorem: diſtinguitur in *externum*, ubi humor cellulis membranæ adipoſæ, hinc pluribus cavitatibus minoribus, includitur, atque is ipſe utplurimum externe in corpore occur-

currit; et *internum*, qui cavitem unicam, eamque majorem obſidet, id quod interne potiſſimum accidit. Prior iterum vel univerſalis eſt, totam corporis peripheriam occupans, et *Anaſarca* ſive *Leucophlegmatia* dicitur: vel particularis, unicæ tantummodo parti moleſta, quo pertinent *Hydrocephalus*, *externus* quoque cognominatus, *Tumor palpebrarum*, *pedum*, *ſcroti*, &c. *oedematoſus*; atque hicce hydrops non modo quaslibet externas partes vexat, ſed et aliquando, aſt rarius, interne, in locis, ubi membrana adipoſa copioſior eſt congeſta, obſervatur. Poſterior non ſolum cavitates generaliores, thoracis nimirum et abdominis, ſed etiam ſpecialiores, cerebri ſcilicet ventriculos, pericardium, ovaria, tubas, uterum, teſticulos, reliquaſque omnes, ipſaque interdum vaſa lymphatica valvuloſa nonnulla, implet: unde exſurgunt, *Hydrocephalus internus*, *Hydrops pectoris*, *Hydrops pericardii*, *Aſcites*, *Tympanites*, *Hydrops ovarii*, *tubarum*, *uteri*, *Hydrocele*, *Hydatides*; quibus addendus eſt *Hydrops ſaccatus*, inter abdominis muſculos, aut eosdem inter et peritoneum, ſedem habens.

In hoc morbo conveniunt arteriarum ſecernentium earum, quæ in cavitatem vel majorem vel minorem patent, dilatatio nimia (80), et venarum e contrario ſeroſarum anguſtia (82): humorum haud raro ſpiſſitudo (90),

(90), itemque ſanguinis elaſticitas deficiens (101), aut ſeri abundantia (106); et fibrarum nimia laxitas (54). Signa ex effectibus deſumuntur, præſertim iis, qui ſenſibus patent. Specialiorum vero cavitatum, e. g. *pericardii* hydrops, itemque *hydatidum*, quæ ſcilicet nimis ſunt abſcondita, nulla dantur ſigna certa: nec eorundem præſentiam, niſi poſt mortem ſectio, manifeſtat. Cauſa generatim eſt actio inæqualis arteriarum et venarum tertii generis, quarum illæ plus advehunt, quam hæ reducunt liquoris. Cui rei anſam dat ſanguinis reditus, propter venarum majorum compreſſionem (82), prohibitus; ſeri circulus impeditus, propter venarum ſeroſarum a quacunque cauſa compreſſionem, earundemque atoniam: aliquando febres intermittentes ſuppreſſæ (149), ſcabies repulſa (167), hæmorrhagiæ graviores (170), aut viſcerum indurationes (175).

Externus hydrops quilibet tumorem producit mollem, indolentem, manifeſtum, cum colore partis albido, interdum quodammodo ſplendente, conjunctum; qui digito impoſito preſſus, foveam contrahit, aliquamdiu poſt remotum digitum perſiſtentem, et non niſi ſucceſſive evaneſcentem: ſerum extravaſatum pondere ſuo gravat; præterea ſenſum frigorificum infert, fibras proximas ultra modum humectat; motum partis, quam obſi-

obſidet, tam naturalem, quam voluntarium, maxime reddit moleſtum: tumor ad molem auctus majorem, ſanguiferas arteriolas vicinas comprimendo, inflammationem ſanguineam (143), ejuſque conſequentias inducit. Atque hæc omnia tam in *Anaſarca*, licet in hac gradu utplurimum mitiori, quam in tumoribus oedematoſis ſpecialibus quibuslibet, obſervantur.

Internus hydrops, ſive *hydrops proprie dictus*, cavitatem, in qua humor continetur, inſimulque membranam ipſi circumductam, extendit, pro ratione quantitatis ſeri accreſcentis, ſine tamen partium adjacentium mutatione, niſi poſt longum tempus id ultimum forte accedat: humor, ſi totam non repleat cavitatem, leni manus applicatione in motum redactus, fluctuans percipitur; quod idem æger, quoties mutatur trunci ſitus, quoque ſentit: humor mole ſua, vaſa, viſceraque vicina comprimit, unde varia iterum mala exſurgunt, pro diverſa earundem conditione et uſu; ipſe, multum auctus, corporis partiumque motui officit.

Uterque hydrops vires proſternit: ſudorem, nec non urinam minuit; reliquas tamen ſecretiones, niſi ſub ſpeciali circumſtantia, non facile turbat. Generatim malum conſtituit pertinax. *Internus* præ externo eſt peri-

periculosior, et aliquando lethalis. *Complicatus* quoque cum aliis morbis majus, quam simplex, periculum affert.

Medicamenta imprimis attenuantia (14) fortiora postulat, itemque evacuantia omnis generis, præsertim vero diuretica (15). Quibus aliquando, si scilicet nimia sit seri collecti quantitas, cavitatis, hoc in se continentis, apertio chirurgica jungenda, atque sic humori corrivato liber procurandus est effluxus.

* Autores nonnulli causam hydropis interni, præsertim abdominis, in *ruptura vasis* cujusdam *lymphatici* valvulosi ponunt: quæ, quamvis penitus non sit impossibilis, rarissima tamen omnium est: et, in hoc casu, tam ad compositionem destructio sive ruptio vasis ejusmodi accedit, quam causæ, prognosis, medela eidem sunt accommodandæ.

** *Tumores oedematosi particulares* et *hydropes interni*, propter medelam, quam præter supradictam admittunt, chirurgicam, in libris chirurgicis quoque, et ulterius, describuntur: quorsum, eandem ob causam, *hydrocele* et *hydrops abdominis saccatus* toti pertinent. Cumque ultima in quolibet hydrope medendi via, id est, cavitatis, serum in se recipientis, apertio, in tumoribus speciatim oedematosis fiat *scarificationum* ope; in hydropibus internis autem, *paracentesi*: de his omnibus etiam chirurgici consulantur autores.

Vid. ***

*** Vid Georg. Wolfg. WEDEL. Diſſ. *de Hydrope*, Reſp. Chriſtian. Ludov. *Göckel*. Jen. 1685. Carol. Henr. SCHWARZ. Diſſ. *de Hydrope*. Altorff. 1703. Frid. HOFFMANN. Diſſ. ſiſtens *ægrum hydrope ex quartana laborantem et reſtitutum*. Reſp. Theodor. Wilh. *Groth* Hal. 1725. Juſt. VESTI Differt. *de Hydrope Anaſarca*. Reſpond. Joh. Jacob. *Volk*. Erford. 1708. Phil. DAVIER DE BREVILLE, Quæſt. Med. *An Leucophlegmatiæ Kermes minerale?* Reſp. Anton. *le Camus*. Aff. Paris. 1743. Jacob. VERDELHAN DES MOLES Quæſt. Med. *An Hydropi Veneſectio?* Reſpond. Bernard. Nicol. *Bertrand*. Aff. Paris. 1747. Natal. Maria DE GEVIGLAND. Quæſtio Medic. *An Hydropi Venæſectio*? Reſp. Hugon. *Capet*. Neg. *Paris*. 1748. &c.

§. 173.

CACHEXIA, hydropi externo univerſali ſive Anaſarcæ (172) non multum abſimilis, aut potius levior ejusdem gradus; eſt flaccida corporis conſtitutio, cum aſpectu pallido, plus minus flaveſcente: virginibus ſuperveniens, ſpeciatim dicitur *Chloroſis*: et conſtat e fibrarum humiditate nimia atque laxitate (50. 54), ſanguinis deficiente elaſticitate (101), lymphæ ſpiſſitudine, et ſeri abundantia (90. 106), cum hujus, propter vaſorum tertii ordinis vitium, ſub cute intra pinguedinem leviori extravaſatione (172).

Signa partim ſunt effectus, partim e vena, forte ſecta, eductus ſanguis pallidus, pau-

coque cruore permixtus. Causam malo subministrant, plethora, propter deficientes sanguinis excretiones naturales; et in foeminis speciatim, propter mensium defectum: serosæ secretiones deficientes: potulentorum minus generosorum usus: alimenta difficilioris concoctionis: vita otiosa: adstringentium (12), itemque spirituosorum, abusus.

In toto corpore turgescentiam producit mollem, minorem tamen, quam quæ in Anasarca observatur: languorem artubus communicat: calorem corporis minuit: partes musculosas ad motum minus reddit agiles: respirationem inducit difficilem, imprimis post qualemcunque motum, ac præsertim in scalarum ascensu; et angustiam præcordiorum parit: concoctionem, et reliquas secretiones turbat: ad somnum ægrotos facit proclives, quo tamen somno ii non reficiuntur. In hydropem verum facile transit: nec non inflammationibus lymphaticis (144), viscerumque infarctui (175), ansam præbet.

Medicamenta requirit attenuantia (14), et serum evacuantia superfluum, præprimis diaphoretica et diuretica (15).

* Hunc morbum autores distinctum volunt ab hydrope: e prædictis interim elucescit, illum non esse, nisi anasarcam leniorem.

** Vid

** Vid. Zach. BRENDEL. Diss. *de Cachexia.* Respond. Christian. *Luja.* Jen. 1625. Gottfr. WELSCH. Diss. *de Cachexia.* Resp. Matth. *Lambert.* Lips. 1662. Georg. Ern. STAHL. Diss. *de Cachexia.* Resp. Septim. Andr. *Oppermann.* Hal. 1710. Guern. ROLFINCK. Diss. *de Chlorosi seu foedis virginum coloribus.* Resp. Joh. Nicol. *Ewaldt.* Jen. 1665. Joh. Jac. DÖBEL. Diss. *de Morbo Virgineo, seu foedis virginum coloribus.* Resp. Bernh. *Barnstorff.* Rostoch. 1670. Augustin. Henr. FASCH. Diss. *de Febre amatoria.* Resp. Joh. *Muller.* Jen. 1689. Just. VESTI Diss. *de Ictero albo.* Respond. Balth. Gottl. *Leusthner.* Erford. 1699. Joan. CRÜGER. Tract. *de Virgine Chlorosi laborante.* Francof. ad V. 1715. Laur. Theophil. LUTHER. Diss. *de Cachexia Virginea.* Resp. Joh. Guil. *Korn.* Erford. 1731. Christian. Steph. SCHEFFEL. Diss. *de Chlorosi ab uterinae purgationis obstructione.* Resp. Joh. David. *Nallinger.* Gryph. 1747. Carol. Frid. KALTSCHMID. Diss. *sistens viduam XXX. annorum Chlorosi laborantem.* Resp. Martin. *Mysz.* Jen. 1752. &c.

§. 174.

ICTERUS eum denotat morbum, in quo superficies corporis tota flavo colore, plus minus saturato, tincta deprehenditur. Distinctionem admittit in *Icterum flavum*, qui dictum colorem flavum monstrat, et *Icterum nigrum*, in quo color iste cineritius est, aut nigricans. Componitur e ductuum, bilem vel separantium vel ad intestina ducentium,

obſtructione (59), colore cutis atque humorum, lymphæ præſertim et urinæ, peregrino (71.111.123), ac humorum a bile commixta ſpiſſitudine (90). Signum præter colorem totius corporis inſolitum, viſui patentem, præbent tunica oculi albuginea, flavedine notabilis; urina vel crocea, vel nigro aut fuſco colore tincta, quæ papyrum, lintea, aliasque, quibus affunditur, res eodem colore imbuit: excrementa e contrario vel ſubflava, vel penitus alba.

Cauſæ ſunt vaſorum biliariorum ſpaſmodica conſtrictio; ductui hepatico aut choledocho inhærens calculus bilioſus; omnium horum canalium compreſſio ab hepate, vel infarctu vel ſcirrho (175) laborante; aliquando hepatitis (242). Spaſmum vero in ſpecie in hoc morbo producunt, febres intermittentes, et potiſſimum tertiana, aut quartana, eæque maxime, ſi ſupprimantur (149): vomitoria aſſumpta draſtica; animi excandeſcentia vehemens; immodicus, poſt incaleſcentiam prægreſſam, potus frigidus; ſpirituoſorum potulentorum abuſus.

Diſcuſſione terminatur icterus, niſi cauſa adſit inſuperabilis. *Niger* quoque icterus, in quem facile mutatur flavus, licet deterioris ſit conditionis flavo, ipſe non ſemper eſt lethalis, ſed aliquando ſanationem, licet

ægrius,

ægrius, admittit. Medicamenta, huc facientia, ſunt relaxantia (11), attenuantia (14), quæ inter ſaponacea præ ceteris autores commendant, et aperientia (12),

* Specificam virtutem, quam olim ex ſignatura, in vegetabilibus, flavum colorem obtinentibus, e. g. curcuma, rhabarbaro, antheris liliorum alborum, &c. quærebant, nullam eſſe, medici hodierni conſentiunt, ſaltem e fundamento dicto nullam.

** Vid. Melch. SEBIZ. Diſſ. *de Ictero ſeu Morbo Regio.* Reſp. Joh. Sebaſtian. *Ottone.* Argent. 1663. Guern. ROLFINCK. Diſſ. *de Ictero flavo.* Reſp. Chriſtoph. Ern. *Stempel.* Jen. 1665. Wilh. Hulder. WALDSCHMID. Diſſ. *de Ictero.* Reſp. Joh. Auguſtin. *Faſch.* Kil. 1706. Joh. Phil. EYSEL. Diſſ. *de Morbo Regio.* Reſp. Joh. Chriſtian. *Müller.* Erford. 1707. Joh. Henr. SCHULZ Diſſ. *de Ictero.* Reſp. Salom. *Cellario.* Hal. 1732. Abr. VATER. Diſſ. *de Ictero ex contuſione dextri hypochondrii mox orto, ac per diarrhoeam criticam brevi ſoluto.* Reſp. Georg. Chriſtoph *Schubart.* Witt. 1733. Georg. Henr. LIST. Diſſ. *de Ictero.* Gieſſ. 1740. Joh. Jac. VAETTERLI Diſſ. *de Ictero, illoque ſpeciatim, quo infantes recens nati laborant.* Gœtting. 1753. Chriſtian. Steph. SCHEFFEL. Diſſ. *de Lithiaſi fellea, ſive Calculo veſicæ biliariæ.* Lugd. 1721. Frid. HOFFMANN. Diſſ. *de dolore et ſpaſmo ex calculo felleo.* Reſp. Abrah. *Nitzſch.* Hal. 1731. Herm. Frid. TEICHMEYER. Diſſ. *de Calculis bilariis,*

riis. Resp. Wilh. Henr. Aug. *Stroehlein.* Jen. 1742.

§. 175.

INDURATIONES VISCERUM, quando nimirum, loco naturalis mollitiei, eadem solito duriora, quin et friabilia interdum, reperiuntur: compositæ e fibrarum siccitate nimia (49), et lymphæ serique in vasis secundi ac tertii generis stagnatione, consequenter in inflammatione lymphatica atque serosa (144), graviori: vel humoris stagnantis aliqualem adhuc mobilitatem admittunt, in quo casu morbus dicitur *Infarctus* e. g. Infarctus hepatis, lienis, &c. vel dicta mobilitas non amplius adest, sed viscus potius in summo induruit gradu; atque tunc morbus nominatur *scirrhus viscerum*, e. g. scirrhus hepatis, lienis, &c. Singuli morbi vel totum viscus quoddam occupant: sicque durities, summa præsertim, manu externe regioni corporis admota, nonnunquam tactu percipitur: vel illius partem solummodo obsidet, in quo casu, durante vita, certo - dignosci nequit.


Præter causas, siccitatem nimiam fibræ et lymphæ serique stagnationem inducentes, nonnunquam huic morbo occasionem subministrat præcedens inflammatio sanguinea, imperfecte discussa (143): aliquando scorbutus

(169)

(169), aut cachexia (173). Viſceris uſum, in quantum a ſpatio morboſo dependet, tollit; hincque ſecernendum forte humorem cum ſanguine iterum commiſceri facit. Gravitatem inconſuetam et continuam, pro ratione molis viſceris et morbi gradus diverſam, maxime in variato corporis ſitu perceptibilem ab ægroto, infert: quam irritatio, dolor, inflammatio partium proximarum, nec non canalium vicinorum compreſſio, earumque effectus: et hanc ultimam iterum aliquando hydrops (172); ac in parte ipſa morboſa ſanguinis primo circulandi impedimentum, tandem ſtaſis et inflammatio, ſive cancer, ipſaque ultimato mors, ſequuntur.

Medicamenta requirit attenuantia et aperientia, (12.14): quæ tamen non niſi in infarctu opem afferunt; ſcirrhus namque penitus extra medicinæ limites poſitus eſt.

Vid. Frid. HOFFMANN. Diſſ. *de Scirrho hepatis.* Reſp. Sigism. Henr. *Schmidt.* Hal. 1722. Matth. Zachar. PILLINGII Diſſ. *de Scirrho lienis.* Reſp. Caſp. Chriſtoph. *Frobenio.* Jen. 1667.





SECTIO II.

MORBI COMPOSITI PARTIALES.

§. 176.

MORBI COMPOSITI PARTIALES, id eſt, qui non, quemadmodum præcedentes, totum corpus ſimul afficiunt, aut in qualibet ejus regione eodem ſemper modo progrediuntur; ſed potius ſpecialem quandam corporis partem occupant:vel ſunt ex hactenus explanatis morbis compoſitis totalibus aliqui, in partiales mutati, quando in una, præ cæteris, parte ſedem figunt, ibidemque novis circumſtantiis nonnullis anſam dant; vel alii plane, nondum commemorati, in unica ſolummodo parte locum habentes. Singuli vel in *capite* hærent, vel in *thorace*, vel in *abdomine*, vel in *artubus*.

In CAPITE obveniunt *Capitis dolor*, *Plica*, *Hydrocephalus*, *Vertigo*, *Lipothymia*, *Memoriæ debilitas*, *Delirium ſomnolentum*, *Noctambulatio*, *Delirium acutum*, *Phrenitis*, *Hydrophobia*, *Stupiditas*, *Melancholia*, *Noſtalgia*, *Mania*, *Affectus ſoporoſus*, *Apolexia*, *Paralyſis*, *Gutta*

Gutta ſerena, Otalgia, Fluxus aurium, Tinnitus ac ſuſurrus aurium, Surditas, Hæmorrhagia narium, Coryza, Odoratus deficiens, Odontalgia, Dentitio difficilis, Aphthæ, Oris foetor, Sitis, Guſtus deficiens, Angina.

In THORACE habentur, *Raucedo, Tuſſis, Aſthma, Catarrhus ſuffocativus, Aſthma convulſivum, Incubus, Febris lactea, Pleuritis, Vomica, Pleuritis ſpuria, Hydrops pectoris, Hæmoptyſis, Cordis palpitatio, Polypus cordis, Hydrops Pericardii, Cardialgia, Paraphrenitis.*

In ABDOMINE conſideranda veniunt, *Singultus, Appetitus deficiens, nimius, depravatus, Soda, Nauſea, Vomitus, Flatulentia, Saburra, Vomitus cruentus, Ventriculi inflammatio, Aſcites, Tympanites, Hepatitis, Splenitis, Inteſtinorum inflammatio, Vermes, Diarrhoea, Cholera, Lienteria, Fluxus coeliacus, Fluxus hepaticus, Dyſenteria, Obſtructio alvina, Colica, Morbus iliacus, Tormina infantum, Malum hypochondriacum, Hæmorrhoides nimiæ, ſuppreſſæ, externæ ſive coecæ, Teneſmus, Nephritis, Veſicæ inflammatio, Ulcus renum aut veſicæ, Calculus renum, Diabetes, Mictus cruentus, Stranguria, Dyſuria, Iſchuria, Urinæ incontinentia, Pollutio nocturna, Fluor albus, Gonorrhoea benigna, maligna, Menſes nimii, Menſes ſuppreſſi, Hæmorrhagia uteri, Hydrops uteri, Abortus, Embryonis motus nimius, Dolores partus ſpurii, Dolo-*

res post partum, *Lochia nimia*, *suppressa*, *Febris Lochialis*, *Impotentia generandi*.

In ARTUBUS occurrunt, *Tremor artuum*, *Arthritis vaga*, *fixa*, *Rheumatismus*, *Malum ischiadicum*, *Atrophia*, *Rhachitis*.

Quæ in autoribus pathologicis explicantur quoque *Uvulæ inflammatio*, *Empyema*, *Hydrops abdominis saccatus*, aliique morbi nonnulli, ad chirurgiam pertinentes potius, quærantur in libris, hanc disciplinam tradentibus.

§. 177.

CAPITIS DOLOR, spasmodicum designat dolorem (138.139), exteriora capitis, quousque cranium excurrit, obsidentem. Totam capitis regionem dictam, id est, frontem, syncipur, occiput, atque tempora simul infestat; vel unicam e modo dictis solam aggreditur; atque vel in exterioribus tantummodo partibus hæret, vel interiora quoque in consensum rapit. Hinc etiam, et propter alias quasdam circumstantias accidentales, varias admittit denominationes. Sic *Cephalalgia* quemvis indistincte denotat capitis dolorem; maxime tamen transitorium, nec nimis fortem: *Cephalæa* dicitur capitis dolor pertinax, chronicus, sæpius recurrens; atque hic ordinarie est vehemens simul: *He-*

micra-

micrania dolorem deſcribit, unicum ſolummodo cranii latus, ſive dimidium caput, occupans: *Clavus* tandem *hyſtericus* non niſi punctum unum, maxime in vertice, affligit, et ſenſum quaſi clavi infixi imprimit, hyſtericis (256) præ aliis familiaris.

Cauſam conſtituunt, plethora ſpecialis in capite, (96), ſpaſmus propter primarum viarum ſaburram (237), alvi ſegnities (252), variique alii morbi ſpaſmodici, dolorem ſpaſmumque capiti communicantes; exhalationes copioſæ, e vegetabilium partibus aliisque rebus fragrantibus prodeuntes: nec non læſiones externe obortæ variæ: aliquando contagium venereum (168), imo et compotatio prægreſſa. Gravior capitis dolor vomitum (235) nonnunquam provocat: interdum et narium hæmorrhagia (201) præcedit. Congeſtiones ad caput, cum pulſu vaſorum ſanguiferorum fortiori, vel infert, vel, ſi jam adſint, auget. Sæpius recurrens Cephalalgia tandem in Cephalæam tranſit, atque tunc difficillime ſanatur, et leviſſima quavis occaſione redit. Anodina poſtulat: et interdum refrigerantia atque diſcutientia externa (59, ſchol.), parti dolenti admota; nec non pedibus apponenda calida, et quæ humores revellunt, perfert.

* De *Refrigerantibus externis*, quae repellendi vim exercent, itemque de mediis, quae humores a parte morbosa avocant, ad remotiorem illos ducentia, quod praestant Venaesectio, cucurbitulae, scarificationes, vesicantia, arte facta ulcera, balnea, frictiones, ligaturae, &c. agitur in chirurgicis.

** Vid. Guern. ROLFINCK. *Ordo et Methodus cognoscendi et curandi dolorem capitis, ad normam veterum et novorum dogmatum.* Jen. 1671. Günth. Christ. SCHELHAMMER. Diss. *de Capitis dolore.* Resp. Theodul. *Kemper.* Jen. 1678. Joh. Ludov. HANNEMANN. Diss. *de Anomalis et Paradoxis morborum curationibus, I. de Dolore Capitis et Epilepsia.* Resp. El. *Mobach.* Kil. 1706. Polycarp. Gottlieb. SCHACHER. Diss. *de ægro ex lue Venerea in Cephalalgiam chronicam delapso.* Resp. Joh. Georg. *Ruppio.* Lips. 1732. Matth. HESSLER. Diss. *de Cephalæa.* Erford. 1743. Frid. SCHRADER. Diss. *de Hemicrania.* Respond. Just. Henr. *Kreienberg.* Helmst. 1690. Laur. HEISTER. Diss. *de Clavo Hæmorrhoidali.* Resp. Joh. Gottlieb *Raupbach.* Helmst 1734. Petr. MALOET. Quaest. Med. *An a Tabaco, naribus assumpto, peculiaris quædam Cephalalgiæ species, aliique effectus?* Resp. Jac. Franc. *Vandermonde.* Aff. Paris 1733. Nec non, Hyacinth. Theodor. BARON (filii) Quaest. Med. *An solvendis pertinacibus sanguinis in Cerebro congestionibus Jugularis venæsectio?* Resp. Jacob. Albert. *Hazon.* Aff. Paris. 1734.

§. 178.

§. 178.

PLICA five *Plica Polonica* dicitur, quando pilorum, et in fpecie capillorum, quantitas quædam in unicum complicatur atque concrefcit funiculum, plus minus craffum longumque. Capilli ifti pollicem a capite complicari incipiunt, eousque feparati manentes, vifu fic tactuque dignofcendi: et complicatos pilos intercedit materia vifcida, e poris pilorum pro parte exfudans, atque in guttulis five granulis minimis, albidis, fubtiliffimæ arenæ inftar, concreta. Conveniunt igitur in hoc morbo, connexio pilorum inter fe nimia (55), canalium dilatatio (57), et fucci nutritii pilorum fpiffitudo inconfueta (110).

Caufæ, quas autores plurimi in neglecta munditie quærunt, potius eædem funt, quæ et alias dilatant canales, nec non humores infpiffant, hic in fpecie in pilos eorumque fuccum agentes: unde et poft febrem continuam graviorem, aut, quæ ipfi accedit propius, remittentem (151), aliquando contingit. Mali nihil infert, aft morbum conftituit difficulter tollendum. Certe abfciffio pilorum fola ad medelam perficiendam nihil confert, quoniam novi accrefcentes pili toties, quoties refecantur, in eadem diftantia a cute, iterum complicati coeunt: nec, quæ ab

ab autoribus commendantur varia, una cum munditie exactiſſima, huc uſque experientia comprobavit.

Polonica dicitur plica, quoniam Polonis creditur morbus endemius. Neglectam munditiem non eſſe cauſam Plicæ, probat Carol. Detlaus LEMBKE, in Diſſ. *de Plica Polonica.* Roſtoch. 1739. Præſ. Georg. Chriſtoph. DETHARDING. habita.

** Vid. præterea Honuphri BONFIGLI Tractat. *de Plica Polonica.* Uratisl. 1712. Guern. ROLFINCK. Diſſ *de Plica Polonica, Reſp.* Chriſtoph. Erneſt. *Taube.* Jen. 1658.

§. 179.

HYDROCEPHALUS, id eſt, Hydrops in regione cranii obortus, vel exteriora cranii aggreditur, *externus* tunc nuncupatus; atque hic ordinarie infantes, nec raro neonatos vexat: vel interiora obſidet, adeoque *internus* eſt; humore, ſub cranio collecto, hujus oſſa in infantibus diſtendente, cerebrumque ac nervos partim comprimente, partim humiditate nimia affligente, ac, quæ ex his omnibus oriri poſſunt, conſectaria inducente. Cauſa in neonatis aliquando, in partu laborioſo, major cranii compreſſio eſſe creditur. Quoad reliqua ſingula, cum hydrope (172) convenit: cujus ergo ſigna, cauſæ, prognoſis, medela, ad caput, quod eſt morbi ſedes, applicanda veniunt.

Quæ

Quæ ulterius de hoc malo essent dicenda, in chirurgicis reperiuntur libris.

§. 180.

VERTIGO est spasmus (139), in cerebro obortus, lenior: quo invadente, vel æger capite erecto sese ipsum continere, ac pedibus instare firmiter nequit, sed quoties corpus recta tenet, pedes primo vacillant, et ad firme standum sunt incapaces; postea æger et brevi, nisi suffulciatur, humi cadit: vel objecta quævis ægro non, quæ revera sunt, firma et stabilia, sed potius circumagi, aut alia ratione moveri, videntur. E caussis spasmi, huc speciatim referenda veniunt, corporis in gyrum prægressa circumactio, aut rerum circumgyratarum aspectus aliquamdiu continuatus: studia immoderata: debilitas senilis: ventriculi imbecillitas, vel ante, vel post prandium se exserens: plethora(96): spasmus partium remotarum, cerebro communicatus.

Obnubilationem visus, tum et auditus, infert: itemque spasmodicas oculorum, nec non partium capitis proximarum, intorsiones. Utplurimum est malum transitorium: a caussa vero permanente producta, chronica fit, tuncque difficulter eradicatur: in affectus spasmodicos (139) majores, lipothymiam (181), arthritidem (288), convulsiones (140),

(140), aliquando transiens in junioribus; in senibus vero quandoque in apoplexiam (194) terminata. Medelam, spasmo opponi solitam, postulat.

* *Cubebæ*, hinc inde contra vertiginem laudatæ, et vulgo usurpatæ, nullam possident vim specificam: nec nisi, roborandi fine, phlegmaticis ad summum conducunt.

** Vid. Werner. ROLFINCK. Diss. *de Vertigine*. Resp. Leonhard. *Krüger*. Jen. 1633. Herm. CONRING. Diss. *de Vertigine*. Resp. Valentin. Henr. *Vogler*. Helmst. 1650. Georg. Wolfg. WEDEL. Diss. *de Vertigine*. Respond. Christian. Frid. *Gerber*. Jen. 1682. Christian. VATER. Diss. *de Vertigine*. Respond. Martin. *Francisci*. Witt. 1698 Anton. CASAMAJOR Quæst. Med. *An* ΔΥΝΟΣ *Apoplexiæ Prodromus?* Resp. Jacob. Franc. *Vandermonde*. Aff. Paris. 1734. Joh. Ad. WEDEL. Diss. *de Vertigine*. Resp. Joh. *Lerch*. Jen. 1741.

§. 181.

LIPOTHYMIA nuncupatur sensuum omnium atque motuum imminutio talis, ut æger, mortui instar, jaceat, non nisi levioribus respirationis atque pulsus indiciis restitantibus: Ejusque gradus summus dicitur *Syncope*. Constat e spasmo (139), pectus atque cerebrum infestante: liquidi nervei in organis sensoriis, trunco artubusque, aliquali defectu (114): nec non humorum in cerebro copia, ordinarie imminuta (89), rarius nimia (88).

(88). Cauſæ, præ ceteris annotandæ hic ſunt: animi commotiones vehementes, præſertim terror: dolor quilibet magnus (138): repentina corporis incaleſcentia: hypochondriacus (256), aliique ſpaſmodici morbi, quorum ſpaſmus cerebro communicatur: hæmorrhagiæ nimiæ (170), ipſaque venæſectio, imprimis largior: aliquando gangræna imminens interna (147): interdum halituum peregrinorum copia.

Repentinam, poſt aliqualem cordis anxietatem, virium et actionum animalium ceſſationem inducit: pallorem faciei extremum, torporem et flacceſcentiam corporis, frigus partium extremarum: oculi præterea vel turbidi apparent, vel clauduntur; os vel clauditur, vel indecore hiat; pulſus ac reſpiratio, in *lipothymia* debiles et minimi, in *ſyncope* plane ſunt imperceptibiles: in priori interdum accedit ſudor circa frontem copioſus, frigidus. Mali, niſi cauſa adſit metuenda, per ſe nihil præſagit: levior tamen membrorum imbecillitas aliquam diu remanet.

Medelam proprie requirit nullam: præter veſtimentorum relaxationem, decubitum horizontalem, faciei conſperſionem cum aqua frigida modice faciendam, calorem externum moderatum, et ſpirituoſorum tam illinitionem, quam cautam ad nares admotionem.

* Membrorum et articulationum flac- cescentia, major vel minor, itemque restans transspiratio pulmonalis, impositum ori speculum halitibus obtegentem condensatis, syncopticos a demortuis, quibus membra, et imprimis articuli, brevi fiunt rigida, nec speciales halitus ex ore proveniunt: *distinguit*. Cum vero casus admodum tragici syncopticorum, pro demortuis habitorum, quin etiam terræ mandatorum, in autoribus legantur: hinc in *casu dubio*, ad detegendum, num vita restet, an non, cauteria actualia membris applicanda suadent autores, e quibus præ ceteris legi meretur Jacob. Benign. WINSLOVII Quæst. Medico-Chirurg. *An mortis incertæ signa minus incerta a chirurgicis, quam ab aliis experimentis?* Resp. Leandro *Peaget*. Aff. Paris. 1740. Interim cum ne hoc quidem experimentum omnino fidum sit: certissimum indicium vasculi alicujus arteriosi sectio provida præbet.

** Vid. Herm. CONRING. Dissert. *de Syncope*. Resp. Werner. *Beust*. Helmst. 1652. Georg. Wolfg. WEDEL. Diss. *de Syncope*. Resp. Theodul. *Kemper*. Jen. 1680. Theodor. KIRCHMAYER. Diss. *de hominibus apparenter mortuis*. Resp. Christoph. *Nottnagel*. Witt. 1681. Georg. Christoph. Petr. AB HARTENFELS Diss. *de Strangulatione a vaporibus externis*. Resp. Godofr. *Schultz*. Erf. 1693. Georg. DETHARDING. Dissert. *de Mortis cura*. Resp. Georg. Christoph. *Dethar- ding*. Rostoch. 172[illegible].

§. 182

§. 182.

MEMORIAE DEBILITAS adesse dicitur, quando quis memoriæ tantas non possidet vires, quantæ ad subeunda rite officia ipsi sunt necessariæ: ex ægri relatione patens: componitur vel e partium cerebri, huc pertinentium, aut atonia (137), aut forte defectu, aut volumine minori justo, aut figura inconsueta (66. 69. 70), vel canaliculorum quorundam subtilissimorum aut obstructione, aut occlusione (59. 62), hinc fluidi nervei per illos transitu denegato. Est vel malum connatum: vel prægressos morbos magnos, e. g. paralysin (195), vulnera capitis præcedentia, debilitatem corporis naturalem, aut senium præsens, habet pro fundamento. Multa in obliviscendo res necessarias incommoda parit: et pro causarum possibili, vel non possibili, remotione sanabilis est, aut non: earundem remotionem requirens.

* *Cubebæ*, hic quoque a nonnullis, ceu specificum remedium, commendari solitæ, neque eam virtutem possident: neque alia, quam in vertigine est monitum, ratione in usum ducendæ sunt (180, *)

** Vid. Christian. VATER. Diss. *de natura et cura memoriæ*. Resp. Gottlieb. *Budæo*, Witt. 1686. Georg. Wolffg. WEDEL. Diss. *de Memoriæ debilitate*. Resp. Joh. Georg.

Maley. Jen. 1696. Chriſtian. VATER. Diſſ. *de Memoriæ et capitis læſione graviſſima a Colica ſpasmodica male curata.* Reſp. Chriſtian. Frid. *Hake.* Witt. 1722. Georg. Gottlob. RICHTER. Diſſ. *de natura, labe, et præſidiis memoriæ humanæ.* Reſp. Georg. Ferdin. *Wegener.* Götting. 1752.

§. 183.

DELIRARE dicitur, quicunque rectæ rationis uſu perfecto eſt orbatus. Varias hic morbus admittit diſtinctiones. Delirium namque aliud non, niſi ſomno durante, ſe prodit: quod, reliquis ſpeciebus generatim mitius, vel tranſitorium eſt, ſaltem periculo omni vacans, *Delirium ſomnolentum* dictum; vel chronicum et periculoſius, ſub denominatione *Noctambulationis* comprehenſum. Aliud homo vigil edit: eſtque iſtud vel acutum, utpote *Delirium vigil* ſpeciatim appellatum, *Phrenitis*, et *Hydrophobia*: vel chronicum, idque aut mitius, uti *Stupiditas* et *Melancholia*, ac hujus ultimæ ſpecies *Noſtalgia*; aut cum furore conjunctum, quod *Mania* audit. In ſingulis, præter congeſtionem humorum (88. 96. 106) ad caput factam; partium cerebri quarundam vel vitioſa adeſt conformatio, ratione numeri, ſitus, voluminis, figuræ (66. 67. 69. 70); vel earundem aut tenſio atque ſenſibilitas vitioſa (53. 54. 72. 73); aut canaliculorum anguſtia, obſtructio

ctio, occlusio (58.59.62); vel fluidi nervei elasticitas aucta (113). Majus vel minus infert periculum, pro gradus et causarum diversitate: atque, secundum hanc varietatem, plus minus, medicamentis congruis sanabile existit.

Vid. Frid. HOFFMANN. Diss. *de mentis morbis ex morbosa sanguinis circulatione ortis.* Resp. Joh. Jac. *Stang.* Hal. 1700. Christian. TROTZ. Diss. *de Deliriis in genere.* Resp. Joh. Gottlieb *Sommerfeld.* Jen. 1744. Carol. PAYEN. Quæst. Med. *An mente motis multum sanguinem detrahere conducat?* Resp. Claud. Franc. *Grandclas.* Aff. Paris. 1750.

§. 184.

Delirium somnolentum, mitissima delirii (183) species, quod nomen gerit in oppositione cum acuto sive vigili (186), adest, quando æger, cetera sanus, in somno delira loquitur: pro causa habet plethoram (96), et sanguinis, partim elasticitatem majorem (100), partim ad caput congestionem; aliquando spasmum, a saburra primis viis inhærente (237): et malum ulterius non inducit; sed, sublata causa, cessat.

§. 185.

Noctambulatio est species delirii somno-

lenti (184) chronica atque intermittens, in qua æger de nocte ſurgit e lecto, et varia negotia, quaſi de die, peragit, cum tamen in ipſo actu ſit ſomno ſepultus, aut rectius, in ſtatu, inter ſomnum et vigilias intermedio, verſetur, adeoque, quæ agit, quaſi in inſomnio exequitur. Noctambuli, qui et *Lunatici* dicuntur, alii, e lecto ſurgentes, conſueta inter diu officia perficiunt, intra domum, in cubiculo, in culina, aliiſque locis vicinis: alii extra domum exſpatiantur, altiſſima interdum loca, ſubinde cum vitæ periculo, aſcendentes, de quibus tamen ordinarie promptiſſima agilitate, et inconſueta vigilibus ſecuritate, revertuntur. Singuli expergefiunt, quam primum vel fortiter, proprio imprimis nomine, appellitantur; vel quando frigus externum, poſt aliquod tempus negotiis conſumptum, ſentiunt; vel, quando contra durum quoddam corpus impingunt.

Morbus inflammationem ſeroſam (145), adeoque craſſiores quaſdam particulas, canaliculos cerebri obſtruentes, pro baſi habere videtur: cui plethora (96), ac interdum ſaburra primarum viarum (237), accedit; aut perturbata phantaſia dat occaſionem; quemque conſuetudo tandem ſuſtinet. Malum alias non gignit conſequentias. Sed poſt paucum temporis decurſum ægroti revertuntur

tur dormientes, et reliquum noctis consueto more explent somno, rerum, quas perpetrarunt, aut plane ignari, aut earundem haud aliter, ac si in insomnio ipsis contigerint, memores: exceptis læsionibus, quas interea temporis accidentaliter forte incurrunt. Imo et haud raro, successu temporis, sponte potissimum, evanescere morbum, observationes clinicæ testantur.

Medela potissimum causas respicit. Auxiliatricem tamen manum addunt, partim castigatio opportuna, quacum surgentes noctambuli, ad corrigendam phantasiam, statim sunt excipiendi: partim vas quoddam, aqua frigida plenum, ipsis insciis, ante lectum collocandum, ut surgendo, in frigidam incidentes, evigilent perterrefacti: imprimis, si hæc repetantur.

§. 186.

Delirium acutum, quod etiam *vigil* nominatur, ubi æger, cum febre continua (150), aut durante febris intermittentis (149) æstu, et delira loquitur, et omnium actionum rationalium immemor, suique ipsius oblitus, cepta sua non cognoscit ipse: aut inflammationem sanguineam cerebri hujusque menyngum (187), aut certe spasmum (139) in cerebro graviorem; ac, in utroque casu,

ſanguinis copiam majorem (96), hinc, præter reliqua, abundantiam fluidi nervei (113), habet pro baſi; et aliquando ab inflammatione viſceris cujusdam graviori, aut ab imminente gangræna interna (147), itemque a partium vicinarum dolore fortiori (197); ac tandem, in febribus intermittentibus, a cutis, durante frigoris acceſſu, ſpasmodica conſtrictione (149) generatur. In continuis febribus mali eſt ominis, et plerumque lethale, imprimis ſi fuerit conſtans, nec poſt aliquod tempus remittat. Si vero æger, quasdam horas, aut diem unum vel alterum, delirans, in ſomnum incidat proportionatum, tunc ſponte abit. Medela, ſi quæ ſupereſt, inflammationem ſpectat, atque ſpaſmum, aut congeſtionem.

Vid. Guern. ROLFINCK. Diſſ. *de Agrypnia ſive Pervigilio.* Reſp. Joh. *Rikemann.* Jen. 1669. Georg. Wolfg. WEDEL. Diſſ. *de Pervigilio.* Reſpond. Paul. Gottfried. *Sperling.* Jen. 1680. Mich. Erneſt. ETTMÜLLER. Diſſ. *de Vigiliis involuntariis.* Reſp. Laurent. *Ebersbach.* Lipſ. 1705.

§. 187.

Phrenitis denotat inflammationem (143), cerebri menynges ipſumque cerebrum obſidentem, cum febre inflammatoria (153). In eadem venæ capitis, propter congeſtionem ſan-

ſanguineam (96), turgent: tempora quaſi ſaliunt, a pulſu arteriarum aucto: dolores capitis acuti, perdurantes, infeſtant: oculi rigent, ſcintillantque, cum torvo et truculento aſpectu, ob eandem congeſtionem: acuta vexant deliria (186), cum vigiliis continuis; aut, harum loco, ſomnus adeſt inquietus, anxiis inſomniis perturbatus. Quasvis inflammationis mutationes pati poteſt; vehementior tamen utplurimum morte finitur. Reliqua omnia, prouti in qualibet inflammatione, eique adjuncta febri, ſunt.

Vid. Bernh. OLDERMANN. Diſſ. *de Phrenitide*. Reſp. Joh. *Eberhard*. Roſtoch. 1607. Henr. MEIBOM. Diſſ. *de Phrenitide*. Reſpond. Simon. *Hetling*. Helmſt. 1621. Joh. Theod. SCHENCK. Diſſ. *de Phrenitide*. Reſp. Joh. Jerem. *Ruttörffer*. Jen. 1666. Ludov. Henr. Leo. HILCHEN. Diſſ. *de Phrenitide*. Reſp. Carol. Gottlob. *Nævio*. Gieſſ. 1742. Herm. Paul. JUCH. Diſſ. *de cognoſcenda et curanda Phrenitide*. Reſp. Joh. Chriſtoph. *Ortmann*. Erford. 1742. Joh. Anton. SCHÜRF. Diſſ. *de Phrenitide*. Altdorff. 1746.

§. 188.

Hydrophobia ſive *rabies canina*, delirii acuti genus, in quo æger, a cane aliove animali rabido morſus, maxima licet ſiti cruciatus, liquida omnia perſeveranter, et ad mortem usque, averſatur; conſtat ex inflam-

matione cerebri ſanguinea ſive phrenitide (187); ac humorum ſpiſſitudine (90), orta a contagio per animal rabioſum communicato (136). Cauſa eſt ſpecifica venenata qualitas, in ſaliva, uti creditur, canis præſertim ac lupi, imo et aliorum animalium, ipſorumque hominum, aut rabidorum, aut ſumme iratorum latens, ac per vulnus factum in humores ægri tranſiens.

Contagium iſtud animum, poſt vulnus inflictum, abjectum timidumque inducit, et febrem inflammatoriam ſpecialem graviſſimam, *hydrophobicam* a contagio juncto nominandam (159); vel ſtatim ſeſe declarantem, vel poſt aliquod tempus accedentem: ſpeciatim vero maximam ab omni potulentorum genere averſionem, non obſtante ardentiſſima ſiti, quæ averſio plerumque nono die poſt declaratam febrem accedit. Niſi debita vulneris tractatione præcaveatur, aut ſtatim ſub initium tollatur, itemque, ſi nimium extendatur vulnus, mortem indubitatam affert, cum omnia hucusque cognita remedia malo ſint inferiora viribus.

* Contagium quandoque *complures menſes*, *quin etiam* annos, in corpore deliteſcere, et tum demum hydrophobiam accedere, autores nonnulli perhibent: vid. e. g. GALEN. *In I. Prorrhetic. Hipp. Comment. II.* §. 17.

§. 17. ægrum a cane rabido morsum, et peracto anno demum hydrophobia correptum adducens: quod tamen vero non videtur simile. Quidam etiam, *absque contagio*, morbum sponte sua aggredi posse, exemplis paucissimis evincere allaborant.

** Multi autores, antiqui pariter ac recentiores, *immersionem* morsi in aquam, tam præservative, quam curative, adhibent. Alii *hepar*, *cor*, *cerebrum* ejusdem *animalis* lædentis; aut, pro usu externo, ipsius *pilos*; alii *scarabæos majales* melle conditos, *nucem vomicam*, *amygdala amara*, &c. laudant: quæ tamen singula exspectationi minime satisfaciunt.

*** Quæ *vulneri* debentur, ejusque debita, ad præcavendam hydrophobiam, tractatio, in chirurgicis prostant libris.

**** Vid. Paul. Marqu. SLEGEL. Diss. *de Hydrophobia seu Rabie contagiosa*. Resp. Joh. August. *Winddorffer*. Jen. 1640. Jacob. TAPPII Diss. *de Hydrophobia*. Resp Henr. *Meibom*. Helmst. 1659. Joh Ernest. SCHAPER. Diss. Resp. Joh. Godofr. *Germann*. Rostoch. 1705. habit. Quæst. I. *Quid de pilorum canis rabidi impositione vulneri, per ejus morsum inducto, facta tenendum*? Nicol. LE TELLIER. Quæstio Med. *An rabies ab acido*? Resp. Guido. Andr. *Garnier*. Aff. Paris 1738. Johann. Henric. SCHULZ. Diss. *de Morsu canis rabidi et Hydrophobia*. Resp. Joh. Caspar. *Schurzmann*. Hal. 1744.

§. 189.

§. 189.

Stupiditas, delirii chronici mitioris genus, quando ſcilicet homo rectæ rationis, præſertim judicii, gradu debito deſtituitur: conſtat e partium cerebri, huc pertinentium, vel nimia humiditate et laxitate (50.54), forte et obſtructione (59); vel ſtructura alio modo vitiata; atque e fluidi nervei, aut elaſticitate minori, aut defectu (113.114). Vel malum conſtituit connatum; vel morbos ſpaſmodicos (139) diuturniores et vehementiores, aliosque magnos morbos, e. g. epilepſiam (141), apoplexiam (194), præcedentes, aut vulnera capitis ſequitur; vel debilitatem corporis generalem, propter ſenium, &c. habet pro baſi. Hominem ad obeunda officia publica, et quemlibet judicii acutioris actum, reddit incapacem: ac chronicum conſtituit malum, nullis facile remediis cedens, niſi forte cauſa talis ſit, quæ ſuperari poteſt.

§. 190.

Melancholia, ad deliria chronica mitiora pertinens, adeſt, quando quis rectæ rationis uſum eousque perdidit, ut ſine omni fundamento, vel nimis triſtis ſit, vel nimis hilaris, variasque ſibi fingit ideas perverſas, ad alterutram ex hiſce conditionibus ſeſe referentes. Diverſos agnoſcens gradus: nec facile uno

uno impetu, ſed ordinarie ſenſim naſcens: componitur e portionum quarundam cerebri, quæ huc in ſpecie pertinent, nimia tenſione et ſiccitate (49.53); forte et obſtructione (59), aut ſtructura alio adhuc modo vitioſa (65.70); cum liquidi nervei ſpeciali elaſticitate, aut conſtitutione morboſa alia (113.114).

Cauſæ ſunt, temperamentum melancholicum; morbi ſpaſmodici, imprimis hypochondriacus (256), itemque apoplexia (194), prægreſſi: partium cerebri, huc ſpectantium, vulnera perpeſſa: meditationes immoderatæ: animi pathemata profundiora, præſertim moeror diuturnus: amor vehemens, et ſimul denegatus: philtra aſſumpta: aliquando morſus a certis animalibus, e. g. a Tarantulis.

Triſtes melancholici, animi anxietates experiuntur maximas; faſtidium omnium rerum jucundarum, earum etiam, quas olim amarunt, quarumlibet; faciei vel pallorem, vel ruborem, cum æſtu volatico; oculos haud raro retractos, fixatosque; lachrymas ſine fundamento profuſas, nec raras; reſpirationem profundam, laborioſam, ſuſpiriis mixtam; palpitationes cordis copioſas; alvum ordinarie adſtrictam; laſſitudinem, et virium defectum; horrores frequentes; ſomnum parcum,

cum, insomniis anxiis, aut pavoribus maximis interruptum: praeterea molestiarum patientissimi sunt, insidias metuunt continuo, et solitudinem amant: imo et, in gradu majori, cum alimentorum parcissimo appetitu, maxima consternatio somnum interrumpit, spectra apparent, vitae taedium jungitur. *Hilares* melancholici, qui et *insani* appellantur, non nisi jucundas habent ideas, quarum continuis agitantur speculationibus: reges se fingunt, principes, divites, &c. curarum omnium sunt abstemii: gesticulationibus ac corporis commotionibus variis, saltationibus, cantationibus, et quae sunt similia, potius, quam tristitia, morbum patefacientes.

Amborum quidam aliquando circa unicam tantummodo ideam haerent, sive tristem sive laetam, de reliquis omnibus rite judicantes rebus.

Connata medelam vix admittit ullam: reliquae quoque species sanatu sunt difficillimae: et, ira accedente, in maniam (192) facile transit. Quae a tarantularum morsu originem duxit, speciali modo sanatur musica, prouti autores perhibent. Medicamenta postulat aperientia, humectantia, attenuantia (12. 14.): et, pro circumstantiarum ratione, interposita refrigerantia (13).

* *Venaesectio* melancholicis administrata invitis, eosdem in maniam praecipitat.

** Vid.

** Vid. Anton. VARI Diff. *de Melancholia.* Resp. Mich. *Schön.* Jen. 1604. Herm. CONRING. Diff. *de Melancholia.* Resp. Nic. *du Mont.* Helmst. 1659. Georg. Wolfg. WEDEL. Diff. *de Chorea S. Viti.* Resp. Gottlieb *Profio.* Jen. 1682. Ej. Diff. *de Melancholia.* Resp. Joh. Georg. *Neuse.* Jen. 1685. Sim. Paul. HILSCHER. Diff. *de Melancholia.* Resp. Joh. Bernh. *Müller.* Jen. 1727. Eliæ COL DE VILLARS Quæst. Med. *An melancholicis musica?* Resp. Guido. Andr. *Garnier.* Aff. Paris. 1737. Herm. Frid. TEICHMEYER. Diff. *de Melancholia attonita, raro litteratorum affectu.* Resp. Joh. Jacob. *Müller.* Jen. 1741. Mich. ALBERTI. Diff. *de Melancholia vera et simulata.* Resp. Godofr. Lebrecht. *Græbner.* Hal. 1743. Ludov. Renat. DESBOIS, Quæst. Med. *An Diluentia in morbis melancholicis, purgationi præferenda?* Resp. Petr. August. *Adet.* Aff. Paris. 1747. Mich. Joseph. MAJAULT. Quæst. Med. *An Melancholici leniter purgandi?* Resp. Ludov. Alexandr. *Gervaise.* Aff. Paris. 1749. Raymund. DE LA RIVIERE. Quæst. Med. *An in morbis melancholicis purgatio per inferiora?* Resp. Joh. *Mac-Mahon.* Aff. Paris. 1750. &c.

§. 191.

Nostalgia, melancholiæ (190) species, quæ Helvetis habetur endemia, iis nimirum, qui extra patriam degunt, est immodica ad patrios lares revertendi cupido, nulla ratione domanda: ut ejusmodi ægrotis desiderium suum implendi facultas subministretur, re-

quirit

quirit, quia alias, ex hac causa, periculosissimos incurrunt morbos; sui autem voti compotes facti, mox sponte sanescunt. Nisi forte causa quaedam moralis, e. g. vitae generis in peregrino solo ducendi taedium, aliave ejusdem rationis, simul adsit, eaque remota, morbus etiam ipse abeat.

Vid. Jacob. HARDER. Diss. *de Nostalgia*; Resp. Joh. *Hofer*. Basil. 1678.

§. 192.

Mania sive *furor*, delirii chronici species vehementior, adest, quando homo non modo rationis usu penitus destituitur, nec sanas cogitationes, aut actiones rationales, edit; sed et furibundum se gerit; sibi aliisque violentas injicere manus, nisi vi detineatur, tentans: componitur a quarundam cerebri partium tensione nimia (53), canaliculorum forte obstructione, atque hinc pendente inflammatione lymphatica (144), et liquidi nervei elasticitate nimia (113), una cum congestione humorum (88) ad caput. Causae sunt: animi commotiones vehementes et diuturnae, ira, terror, &c. amor vehementissimus isque denegatus, accedente temperamento cholerico: immoderatae et profundae speculationes: philtra: capitis vulnera, inflammationes cerebri, melancholia (190), praegressa.

Aspe:

Aſpectum reddit audacem, faciemque utplurimum pallidam cum oculis ſanguine ſuffuſis: actiones, perpetuæ quidem, ſed rationi ac verecundiæ omni contrariæ ſunt, in inceſſu, amictu, eſu &c. nulla ab intenſiſſimo frigore perceptio adeſt, certe damnum nullum, etiamſi nudo corpore incedant maniaci; neque a verberibus aut vulneribus tanta, quanta in aliis hominibus, affectio: voracitas e contrario immodica, ſomnus parciſſimus: iracundia promptiſſima, quavis occaſione leviſſima data, et ſeſe aliosque lædendi, imo et necandi, deſiderium obſervatur, cum robore extraordinario.

In malo recenti, ſubitoque exorto, refrigerantia juvant medicamenta (13), cum diæta tenuiſſima et parciſſima. Chronica facta mania vix medelam admittit: interim, ſi quæ tentanda, eadem eſt, ac in melancholia.

* Ea præſertim maniæ ſpecies, quæ amorem denegatum ſequitur, *Erotomania* audit. Cumque melancholia atque mania multum inter ſe conveniant: in priori morbo correptis aliquando effectus nonnulli obſervantur, maniæ adſcripti; et huic morbo laborantibus interdum quid accidit, quod melancholicis proprium habetur.

** Vid. Godofr. MOEBII Diſſ. *de Mania ſeu Inſania.* Reſp. Joh. Caſp. *Beuttelio.* Jen. 1648. Guern. ROLFINCK. Diſſ. *de Ma-*

 nia

nia. Resp. Joh. Wilh. *Faust.* Jen. 1666. Joh. Arnold. FRIDERICI Diss. *de Mania ex Philtro.* Resp. Georg. Tobia *Wallich.* Jen. 1670. Georg. Wolfg. WEDEL. Diss. *de Mania.* Resp. Henr. Godofr. *Sommer.* Jen. 1693. Ludov. Frid. JACOBI Diss. *de Mania.* Resp. Frid. *Winter.* Erford. 1710. Henr. Godofr. PFEIFFER. Diss. *de Mania.* Lugd. 1742. Augustin. Henr. FASCH. Differt. *de Amore insano.* Resp. Augustin. Severo *Bäckhauss.* Jen. 1686. Georg. DETHARDING. Differt. *de Erotomania.* Resp. Joh. Christoph. *Heintz.* Rostoch. 1719. Joh. Just. DE BERGER. Diss. *de Puerperarum Mania et Melancholia.* Gœtt. 1745. Carol. Frid. KALTSCHMIED. Diss. *sistens Casum de Virgine Nymphomania laborante.* Resp. Carol. August. *Heisterbergk.* Jenæ 1748.

§. 193.

AFFECTUS SOPOROSUS dicitur sopor profundissimus, in quem æger contra naturam incurrit, et cum difficultate expergefactus, mox relabitur: constans e congestione humorum (88) ad cerebrum, eamque sequente canalium dilatatione (57), atque hinc facta fibrarum cerebri compressione (58), et denegato exinde fluidi nervei in corpus influxu (114). Causa est: seri in cerebro impedita circulatio, propter spasmum, aliudque impedimentum, in loco dissito præsens; propter debilitatem, a temperamento phlegmatico, a senio, ab anodinorum

rum (11) abuſu: ſanguinis poſt factam capiti violentiam ſub cranio extravaſatio, aut tumor quilibet, cerebrum premens: plethora (96): gangræna, viſceri cuidam imminens (147).

Primo perpetua ad ſomnum inclinatio contra naturam, et hanc ipſam in ſenibus aliquando præcedens gravedo (202), infeſtat: poſt aliquod tempus vero, plus minus cito, ipſe ſopor profundiſſimus, e quo æger non niſi ægerrime expergeſit, ſequitur.

Hoc malum morte terminatur facile: aut in ſenibus, aliisque ſumme debilitatis, in apoplexiam (194) abit. Interna medicamenta cum in ipſo ſopore locum non habeant, ægroto quippe deglutiendi facultate deſtituto: hinc externa irritantia, moderate adhibenda, reſtant ſola.

* Autores varias affectus ſoporoſi formant ſpecies. *Lethargus* ipſis eſt affectus ejusmodi, ſine alio quodam morbo, ſolus contingens. *Coma* eſt, quando malum febribus acutis ſupervenit: atque hoc ultimum ſubdiſtinguunt in *Coma vigil*, quando æger ſomnum, non obſtante maxima in illum propenſione, capeſſere nequit, ſed oculis potius apertis delirat; et *Coma ſomnolentum*. Interim alii dicta nomina aliter explicant. Quidam addunt *Carum*, ceu ſpeciem tertiam.

** In affectu soporoso morbus intra *solam* subsistit humorum ad cerebrum *congestionem*, in qua scilicet fluida in vasis adhuc continentur, adeoque et intra vasorum horum dilatationem: in apoplexia autem (194) vera adest liquorum extravasatio, et vasorum disruptio.

*** Vid. Werner. ROLFINCK. Differt. *de Lethargo.* Resp. Joh. *Listhenio.* Jen. 1629. Joh. Theod. SCHENCK. Diss. *de Caro.* Resp. Georg. Adam. *Dummer.* Jen. 1665. Jacob. TAPPII Diss. *de Comate et Caro.* Resp. Ernest. *Barnstorff.* Helmst. 1668. Georg. Wolfg. WEDEL. Diss. *de Somno præternaturali.* Resp. Conr. Georg. *Hartmann.* Jen. 1686. Gunth. Christ. SCHELHAMMER. Diss. *de Lethargo.* Resp. Mich. *Schramm.* Jen. 1692. Claud. Carol. DE JEAN. Quæst. Med. *An affectibus soporosis Emeticum?* Resp. Carol. *Payen.* Aff. Paris. 1735. Joh. Godofr. BRENDEL. Diss. *de Lethargo.* Resp. Bened. Henr. *Löhr.* Götting. 1752.

§. 194.

APOPLEXIA est subitanea atque ex improviso contingens sensuum ac motus abolitio, cum sopore profundissimo, senibus ordinarie, aut virilem ætatem nactis, superveniens: e congestione humorum (88) ad cerebrum, vasorum quorundam ruptura (60), fibrarum nervearum compressione (84), et hinc pendente fluidi nervei defectu in partibus (114), composita. Causa igitur est

eſt humorum intra cerebrum extravaſatio: (193,**): cui occaſionem dant, plethora præſens generalis; ſpaſmus (139) fortior; refrigeratio ſubitanea; ſpirituoſorum abuſus; capitis contuſiones graviores; affectus ſoporoſus, itemque vertigo, præcedentes (180. 193).

Poſt aliqualem ordinarie prægreſſum vertiginis (180), caput obnubilantis, ſenſum; imo et aliquando torporem ſimul, ac corporis gravitatem: ſubitaneum ægri, in acceſſu morbi recta forte ſtantis, in terram prolapſum inducit, ubi immotus jacet: cum facie turgida, ſanguineo colore tincta, genisque rubentibus; idque potiſſimum in ſanguineis atque plethoricis; oculis quandoque apertis, ac intortis, et pupilla dilatata: utplurimum ſtertore pectoris, et reſpiratione magna laborioſa; pulſu pleno, ac nonnunquam vehementi, ſaltem ſub initium: atque cum profundiſſimo ſopore, ex quo æger nulla arte expergefieri poteſt, quique vel ſtatim cum morbo adeſt, vel poſt parvum intervallum ſequitur. Vehementior apoplexia intra paucas horas mortem accerſit. Mitior facillime paralyſin aut hemiplexiam (195); interdum ſtupiditatis (189), aut melancholiæ (190), leviorem gradum relinquit.

Medela proprie nulla datur: quoniam extravaſati humores, ſi reſorbeantur, ſponte

retrocedunt. Interim ad opus illud, quantum poſſibile, facilitandum in ægrotis ejusmodi, venæſectio larga, enemata, veſicatoria, et frictiones partium inferiorum, adhibentur.

* Autores rem ægroti tum potiſſimum conclamatam eſſe volunt, quando in Apoplecticis e Vena ſecta *ſanguis* propter ſpiſſitudinem *non fluit*. Interim experientia clinica toties, ſanguinem optime prodire, et ægrotum nihilominus mori, teſtatur.

** Nonnulli apoplecticorum naribus *ſpirituoſa* admovent, quæ tamen uſum habere nullum poſſunt. Alii *purgantia* et *vomitoria* porrigunt: quæ partim reſtantem adhuc deglutiendi facultatem ſupponunt, partim itidem non juvant; quin imo vomitoria in ſpecie, propter congeſtionem humorum ad caput, horumque motum majorem, inde provenientes, potius nocent. Quidam *actuale cauterium* commendant, quod, regionibus remotioribus admotum, eandem, quam ſupra dicta, derivandi virtutem, eamque maximam, exercet, præterea vero extravaſatis in cerebro fluidis nil detrahit (195, ***).

*** Vid. Joach. STOCKMANN. Diſſ. *de Apoplexia*. Reſp. Joh. Albert. *Huswedel*. Roſtoch. 1641. Joh. BACMEISTER. Diſſ. *de Apoplexia*. Reſp. Frid. *Tieffenbach* Roſt. 1671. Joh. JUNCKER. Diſſ. *de prognoſi Hipp. quod Febris ſolvat Apoplexiam*. Reſp. Daniel. Chriſtian. *Langhammer*. Hal. 1734. Joh. Gothofr. BERGER. Diſſ. *de Apoplexia*. Reſp. Joh. Frid. *Schlei-*

Schleifer et Carol. *Schulz*. Witt. 1717. Christian Ludov. WUCHERER. Diff. *de Apoplexia.* Refp. Joh. Conrad. *Siegfried*. Jen. 1718. Brandan. MEIBOM. Diff. *de Apoplexia, ejusque generofioribus remediis.* Refp. Joh. Jac. *Peier*. Helmft. 1723. Simon. Paul. HILSCHER. Diff. *de Apopolexia.* Refp. Henr. Andr. *Scholvin*. Jen. 1739. Guil. Carol. SCHREITER. Diff. *de Apoplexia.* Marburg. 1748. Laur. HEISTER. *de Apoplexia, magis chirurgicis quam aliis medicamentis curanda.* Refp. Georg. Conrad. *Thon*. Helmft. 1752.

§. 195.

PARALYSIS eft fenfus ac motus in parte quadam corporis impotentia. Vel corporis latus alterutrum, five dextrum, five finiftrum, totum occupat, fub nomine *Hemiplexiæ* feu *Hemiplegiæ* comprehenfa. Vel partem quandam fpecialem folam afficit, e.g. palpebram, oris latus alterutrum, linguam, brachium, manum, pedem, aut vifcus aliquod: atque tunc nomen generale manet, adjecto partis nomine; e. g. *Paralyfis palpebræ, oris, linguæ*, &c. Componitur e nervi cujusdam, vel cerebri vel medullæ fpinalis, aut plurium, anguftia nimia; rarius illius deftructione (84): et hinc pendente liquidi nervei in parte, ad quam nervus pertinet, defectu (114). Caufam præ ceteris conftituunt, vafa fanguifera, prope initium nervi fita, dilatata propter plethoram

vel generalem vel ſpecialem: (96), refrigerationes ſubitaneæ majores; animi corporisque commotiones vehementes; ſpirituoſorum potulentorum abuſus; ſcabies repulſa (167); apoplexia nonnunquam (194), aut colica (253), præcedentes. Deſtructio in ſpecie, conſueta occaſione, contingit.

Motus voluntarii impoſſibilitatem infert in parte affecta: pars morboſa primo propter humorum circulum lentiorem, inflata deprehenditur, poſtea vero ſenſim flacceſcit. Senſus ac dolor in principio nullus adeſt: ſucceſſu tamen temporis dolores ſat graves et vagi eandem partem male habent, tandem iterum evaneſcentes. Uſus partis, ob deperditum motum voluntarium, et tonum maxime debilitatum, moleſtiſſimus eſt: hinc impotentia palpebram ſuperiorem elevatam continendi, in *hujus* paralyſi; diductio oris ad alterum latus, in paralyſi *muſculorum labiorum* unius lateris; aphonia, in paralyſi *laryngis*; impedita loquela et deglutitio, in paralyſi *linguæ*; impedimentum ambulandi, in paralyſi *pedis*; urinam retinendi, in paralyſi *veſicæ*; impotentia alvum exonerandi, in paralyſi *inteſtinorum*: atque omnia hæc proportionate adveniunt in Hemiplexia, quæ præterea ſubito ordinarie aggreditur, pariter ac de Apolexia (194) dictum.

Sana-

Sanatu eſt difficilis, rariusque integre tollitur, præcipue in ſenibus. Debellata facile recrudeſcit, leviori occaſione data. In ſenibus aliquando apoplexiam lethalem infert. Hemiplexia in ſpecie, memoriæ (182), ac ingenii lapſum (189), producit facile. Et medicamenta attenuantia requirit fortiora (14).

* Paralyſis inteſtinorum poſt colicam prægreſſam remanens, ſpeciatim autoribus dicitur *Pareſis*.

** Compreſſionem ſupradictam *nervi initio* ſupervenire in Paralyſi, torpor artuum probare videtur, qui nervi circa ejus medium contingentem compreſſionem ſequi ſolet. Idque ibidem ſi accidat, fieri in cerebri aut medullæ ſpinalis dimidio ſeu latere eo, quod lateri ſeu parti morboſæ eſt oppoſitum, principia nervorum docent: quamvis ſimul concedendum ſit, nervorum canales adhuc comprimi poſſe in loco a prima origine jam quadantenus remoto, talique, qui ægroto lateri reſpondet.

*** Propter ſenſus defectum, tam in hoc morbo, quam in apoplecticis (194), pars ægrotans *irritantia* quælibet *externa* (177,*), e quibus nonnullis in uſu ſunt veſicantia, fortiſſimæ frictiones, ſcarificationes, cucurbitulæ, urtica urente cæſiones, &c. permittit quidem: aſt ipſa eorundem efficaciam, vel plane non, vel certa non, quemadmodum alias, percipit. Neque omnia hæc effectum, qualem autores polli-

centur, in ſanando morbo poſſunt exſerere; cum mali cauſa non in parte, cui irritantia admoventur, ſed longe alibi, reſideat.

**** Vid. Chriſtoph. SCHELHAMMER. Diſſ. *de Paralyſi.* Reſp. Georg. Albert, *Buchhorſt.* Jen. 1649. Joh. Theodor. SCHENCK. Diſſ. *de Paralyſi.* Reſp. Frid. *Kaltſchmied.* Jen. 1668. Georg. Wolfg. WEDEL. Diſſ. *de Palyſi.* Reſp. Samuel. *Graſs.* Jen. 1677. Brand. MEIBOM. Diſſ. *ægram Paralyſi laborantem exhibens.* Reſp. Erneſt. *Friedlieben.* Helmſt. 1720. Laur. HEISTER. Diſſ. *ſiſtens Rationem Paralyſis Anatomicam.* Reſp. Anton. Frid. *Danckwerts.* Helmſt. 1735. Chriſtoph. Martin. BURCHARD. Diſſ. *de affectibus Paralyticis, eorumque ab aliis impotentiarum generibus differentia.* Reſp. Chriſtoph. Woldemar. *Lohmann.* Roſt. 1736. Carol. DIONIS Quæſt. Med. *An Paralyſi affectis ſudores promovendi?* Reſp. Leandr. *Peaget.* Neg. Paris. 1739. Georg. Chriſtoph. DETHARDING. Diſſ. *de Paralyſi et Hemiplexia, ſubiuncta Quæſtione: Utrum Venæſectio in parte ſana, vel affecta inſtituenda?* Reſp. Joh. Carol. *Brun.* Roſtoch. 1739. Chriſtian. VATER. Diſſ. *de Hemiplegia.* Reſpond. Balth. Meno. *Hannekenio.* Witt. 1700.

§. 196

Gutta ſerena, ſive *Amauroſis*, dicitur coecitas, a paralyſi (195) nervi optici originem trahens: aliquando unum oculum occupans ſolum, aliquando ambos. Oculus in eadem totus apparet ſanus, nec ullum in hoc vitium aſpectus detegit: præterquam quod

quod iridis motus ſub initium morbi ſit debilior juſto, tandemque penitus evaneſcat. Cauſæ eædem ſunt, ac in paralyſi quavis: ipſaque aliquando cataracta.

Nonnunquam repente advenit: in aliis lente appropinquat; atque hi vel ſimplicem viſus diminutionem, ſenſim augeſcentem; vel varias circa viſus facultatem mutationes inconſuetas, ante adventum guttæ ſerenæ, experiuntur, figuras aut opacas, ante oculos volitantes, in aëre, parietibus albis, papyro alba, aliisque corporibus lucidis viſibiles; aut ſolito lucidiores et ſplendidiores, diverſimode figuratas, et varia rationes mobiles; ſingulas revera non exiſtentes, et viſum ægroti accuratiorem impedientes, ac nonnunquam doloribus capitis diuturnis ſtipatas. Incipiens et incompleta interdum, ſed rarius, ſanatur. Completa vero, et diutius durans, medelam admittit nullam: quæ de cetero eadem eſt, ac in paralyſi.

*R*eliqua, quæ huc pertinent, variæque aliæ *coecitatis* ſpecies atque cauſæ, in chirurgicis autoribus explicata proſtant.

§. 197.

OTALGIA eſt dolor auris internæ, cum inflammatione ſanguinea et febre proportionata conjunctus, acutus, pulſans, ardens.

dens. Componitur ergo e dolore (138), inflammatione ſanguinea (143), atque febre continua (150). Oritur potiſſimum e congeſtione humorum (88), ad aurem internam contingente: aliquando a febre quadam (148) prægreſſa; raro a rebus in auditorium meatum illapſis. Interdum ad partes capitis reliquas diffunditur: atque adeo quandoque fit vehemens, ut ad delirium usque (186) augeatur: præterea quaslibet inflammationis conſequentias poſt ſe trahere poteſt. Medela quoque haud alia eſt, quam in inflammatione, generatim ſpectata: interim externa ſimul media, inflammationi apta (143, **), hic etiam locum ſubinde inveniunt.

Vid. Carol. *Frid.* K ALTSCHMID. Diſſ. *de Otalgia.* Reſp. Joh. Chriſtoph. Frid. *Spillbiller.* Jen. 1749.

§. 198.

Fluxus aurium denotat effluxum ſeri, plus minus purulenti, e meatu auditorio. Supponit itaque ſuppurationem in aure factam, eamque vel in meatu dicto, vel magis adhuc interius evenientem: cujus iterum cauſæ, prognoſi, atque medelæ, quarum reſpectu cum omnibus reliquis ſuppurationum generibus plane coincidit, nil addendum eſt, præter id unicum, quod pus, in

in interna aure generatum, nisi per ductum Eustachianum defluat ad os, sicque ulcus purificetur, tandem vel tympani membranam, vel ossicula auditus vicina, aliasque osseas partes corrumpat, atque sic surditati (200) viam sternat.

Vid. Joh. Henr. SCHULZ. Diss. *de Auribus manantibus et ulceratis*, Resp. Joh. Frid. *Jebens*. Hal. 1743.

§. 199.

Tinnitus et susurrus aurium adest, quando æger continuam murmurationem, et perceptionem quasi campanæ sonantis, in aure sentit. Componitur e tensione membranæ tympani nimia (53), et elasticitate nervulorum acusticorum justo majori (63): necnon, quam pro basi habet, congestione humorum tenuiorum ad aurem, eorumque ibidem in subtilissimis canaliculis stagnatione, sive ex inflammatione lymphatica atque serosa, (144. 145), in aure facta. Sequitur ordinarie subitaneam, post præcedentem incalescentiam, refrigerationem: aliquando autem oritur ab insecto, in meatum auditorium irrepente, et motu suo dictam perceptionem producente: omnibusque illis accedere morbis potest, in quibus congestio ad caput fit. Auditus exactitudinem lædit; et causarum remotionem postulat.

* Removendi insectum, nisi hoc sponte prodeat, vias varias chirurgia docet.

** Vid. Joh. Jac. IANTKII Diss. *de Tinnitu aurium, ejusque speciebus*. Resp. Georg. Christoph. *Baumgærtner*. Altorf. 1746.

§. 200.

SURDITAS, quando scilicet auditus sensus, vel in gradu minori, vel majori, est deperditus: pro fundamento agnoscit, vel meatus auditorii repletionem, sive a cerumine indurato, sive a tumore eundem implente, sive propter ejus plenariam coalescentiam; vel membranæ tympani aut laxitatem nimiam (54), aut rupturam (56); vel denique in partibus reliquis ad aurem internam spectantibus, præsentem morbum; imprimis ossiculorum auditus jacturam, aut nervi auditorii paralysin (195), aliquando fluxum aurium diuturnum (198) præcedentem; aut congestionem solam (88): et, pro harum omnium diversitate, sanabilis existit vel minus; pro medela earundem remotionem postulans. Interdum post superatam febrem continuam (150) graviorem relinquitur: et tunc ordinarie sponte abit successu temporis, nisi prædictarum causarum aliqua simul jungatur. Aliquando connatum constituit malum, quod et aphoniam (211) habet consequentem, et medelam ordinarie nullam admittit.

Vid.

Vid. Frid. HOFFMANN. Diss. *de Auditu difficili.* Resp. Martin. *Naboth.* Hal. 1703. Mich. ALBERTI Diss. *de Caussis vitiorum auditus.* Respond. Christian. Fridemann. *Pistorio.* Hal. 1752.

§. 201

HÆMORRHAGIA NARIUM, quæ est sanguinis e naribus effluxus, plus minus copiosus, infantibus atque in juvenili ætate constitutis potissimum, rarius virilem nactis ætatem, superveniens; præcedentibus subinde capitis doloribus (177): et a congestione sanguinis versus caput utplurimum trahens ortum: tam signa, quam caussas, prognosin, ac medelam hæmorrhagiarum in genere (170) admittit; refrigerantia quoque externa, aquam scilicet frigidam, fronti applicandam, et in nares attrahendam, aliaque ejusmodi repellentia, atque revulsionem humorum (177, *) optime perfert. Quæ vero læsionem graviorem, e quacunque caussa productam, adeoque vasis sanguiferi notabilioris ruptionem prægressam agnoscit, chirurgicam postulat opem specialem.

* Varia *medelarum* in autoribus hinc inde inveniuntur, contra hæmorrhagiam narium, genera: e quibus tamen infida quælibet dicenda, quæ contra caussam non sunt directa, nec in artis regulis fundata.

** Vid.

** Vid. Joh. Theodor. SCHENCK. Diſſ. *de Hæmorrhagia narium*, *R*eſp. Adam. *Hahn.* Jen. 1668. Valentin. Henr. VOGLER. Diſſ. *de Hæmorrhagia narium*, Reſp. Joach. Theodor. *Willerding*. Helmſt. 1673. Joh. Nicol. PECHLIN. Diſſ. *de Hæmorrhagia narium*. Reſp. Georg. *Braſch*. Kil. 1680. Joh. Frid. PROBST. ſpecimen *de Hæmorrhagiis narium in ſenibus*. Hal. 1752.

§. 202.

CORYZA atque GRAVEDO denotant morbum catarrhalem, ſive inflammationem ſanguineam leniſſimam, in membrana pituitaria exſurgentem, et cum febre proportionata conjunctam (143. 152). Catarrhus iſte, una cum congeſtione humorum (88) ad nares, combinatum habet humoris ſeroſi e naribus, in quantitate interdum ſat magna, effluxum aut deſtillationem, prouti fit in *Coryza*: vel ejusmodi effluxus ſeri deficit, et, ejus loco, dolor capitis gravativus, in nare ſuperiori quoque manifeſtus, cernitur; id quod *Gravedinis* eſt proprium.

Cauſam ordinarie conſtituunt, refrigeratio ſubita poſt incaleſcentiam, et aër humidus frigidusque; unde et autumnali ac hyemali potiſſimum tempore hi morbi adveniunt.

Præter conſuetos inflammationis atque congeſtionis effectus, frequentes producit ſternutationes: febrem infert catarrhalem ſtri-

ſtrictius dictam (152,**), et præprimis in morbi aggreſſione moleſtam: dolor quoque capitis obtuſus gravativus, cum deficiente odoratu (203), naſique exterioris ac faciei partium proximarum intumeſcentia aliquali, nec non reſpirationis impedimento quodam, ſeri effluxum præcedit: ſerum, e naribus defluens, vicinum ſuperius labium quandoque rodit: præterea inflammatio ordinarie ad fauces vicinas, aſperamque arteriam, plus minus brevi excurrit: in ultima ſpeciatim, tuſſim (213) producens. Nonnunquam et raucedo (212) aliqualis jungitur.

Plus moleſtiæ, quam periculi, ambæ inferunt: ordinarie brevi abeuntes, intra paucos dies. In nonnullis tamen fiunt habituales, leviſſima tunc occaſione data redeuntes. Gravedo in ſpecie in coryzam regulariter terminatur: aliquando vero et affectum ſoporoſum (193) in ſenibus præcedit. Regimen poſtulant diaphoreticum, cum reliqua febris continuæ mitioris medela.

Vid. Guern. ROLFINCK. Diſſ. *de Catarrho.* Reſp. Jacob. *Mochinger.* Jen. 1651. Joh. Jacob. DÖBEL. *Hippocratis et Helmontii ſuper Catarrhorum generatione Conciliatio.* Reſp. Joh. *Prætorio.* Roſt. 1673. Joh. Erneſt. SCHAPER. Diſſ. *ſiſtens Medicinæ curioſæ ſpecimen.* Reſp. Joh. Georg. *Barnſtorff.* Roſt. 1711. Quæſt. I.

§. 203.

ODORATUS DEFICIENS, quando ſcilicet homo hoc ſenſu vel penitus deſtituitur, vel eundem adeo accuratum, uti decet, non habet: aut connatum eſt malum, inſimulque immedicabile: aut laxitatem nimiam membranæ pituitariæ, aut coryzam (202); aut in nervis, huc ſpectantibus, vitium ſupponit: aliquando pulverum ſternutatoriorum abuſum ſequitur: et cauſarum remotionem poſtulat.

Vid. Chriſtian. Steph. SCHEFFEL. Diſſ. *ſiſtens Olfactum deficientem.* Reſp. Carol. Eman. *Chariſio.* Gryph. 1747.

§. 204.

ODONTALGIA, ſive dolor dentium, partiumque proxime ſitarum: vel vitium in dente ipſo hærens pro fundamento habet; in unico itaque hoc dente, qui læſus apparet, ſedem figit, et *veræ* nomen meretur. Vel, *ſpuria* dicenda, plures ſimul dentes occupat, ſedem potius habens in gingivis, quam in ipſis dentibus, qui plane illæſi conſpiciuntur: et conſiſtit in inflammatione ſanguinea (143), leniori utplurimum, cum febre continua (150) proportionata, in gingivis oborta, ac exinde in ceteras, os cingentes, partes externas excurrente, imo et ad

ulterius ad caput aſcendente, utplurimum tamen non niſi alterutrum faciei et capitis latus vexante. Cauſa in hoc morbo eadem eſt, ac in reliquis inflammationibus, congeſtio nimirum ſanguinis (96) ad partes dictas: propter tempeſtatem humidam, ſubitaneam refrigerationem, incaleſcentiam prægreſſam; propter animi commotionem vehementiorem; ſpasmum (139), in partibus diſſitis obortum; inflammationem partium vicinarum, e. g. naſi, &c.

Cum inflammatio ordinarie lenior adſit, hinc utplurimum diſcuſſione terminatur: alias inflammationis quaslibet conſequentias habere poteſt. Medela, cum regimine diaphoretico, atque moderatis diſcutientibus externe admovendis, eadem eſt, quam dolor (138), inflammatio, febris continua, generatim poſtulant.

* Odontalgiæ *veræ* explicatio in chirurgicis quærenda eſt autoribus.

** Vid. Simon. Paul. HILSCHER. Diſſ. *de Odontalgia*. Reſp. Cornel. *Schütte*. Jen. 1748.

§. 205.

DENTITIO DIFFICILIS, infantibus præſertim noxia, dicitur, quando dentium eruptioni mala alia, eaque haud

raro periculosa, junguntur. Causa est, vel gingivæ durities et crassities inconsueta, quæ opem chirurgicam postulat. Vel dentium, simul erumpentium, major copia adest: vel sensibilitas corporis nimia (72) In his ultimis casibus dolor, a dentium eruptione oriundus, intensior, spasmo, convulsionibus, epilepsiæ (139-141), ansam dat: consectaria quoque, his morbis solita, post se trahit: nec aliis, quam consuetis, remediis sanatur.

Vid. Jacob. Franc. VANDERMONDE. Quæst. Med. *An infantum a dentitione, convulsionibus, vel soporibus, repetitus catharticorum usus?* Resp. Jacob. Franc. *le Chat de la Sourdiere.* Aff. *Paris.* 1741. Casimir. Christoph. SCHMIEDEL, Diss. *de Dentitione, præsertim infantum, difficili.* Resp. Christoph. Jacob. *Apin.* Erlang. 1751.

§. 206.

APHTHÆ ulcuscula aut vesiculas denotant, labiorum superficiem interiorem, gingivas, linguam, quin etiam os totum internum, obsidentes: quæ infantibus lactentibus, in ætatis hebdomadibus primis superveniunt; rarius adultos vexant, atque tunc oris interni partem posteriorem et gulam potius, quam os anterius, obsident: cum inflammatione dictarum partium et febre continua proportionata conjunctæ.

In

In infantibus, ubi ſpeciatim *Aphtharum* nomen habent, ſuctionem impediunt, pro majori aut minori copia plus minus diu ſubſiſtunt; ſæpius per octiduum creſcunt a primo initio ad punctum ſummum; et deinde, cuticula, in veſiculas antea elavata, inſtar albidæ membranæ ſecedente ac ſimul decedente, per alterum octiduum decreſcunt: nec, niſi febris gravior accedat, lethales fiunt; alias quaslibet inflammationis (143) et ſuppurationis (146) conſectaria poſt ſe trahere poſſunt: ac contagioſi quid alere videntur, quoniam papillas mammarum nutricis, niſi iſtæ poſt quamlibet infantis ad ſugendum admotionem probe abluantur, facillime ſeſe communicant; et tunc, propter continuum infantis lactentis cum nutricis mamma commercium, difficillime exſtirpantur; quin potius ſæpius recrudeſcunt. In *adultis*, ſæpiſſime cum inflammatione viſceris cujusdam graviori combinatæ ſunt; et ideo haud raro lethalem portendunt eventum.

Medela eadem eſt, ac in inflammationibus quibuslibet. Acria (11) etiam, mundificandi fine, applicari poſſunt: leniſſima tamen et adjuncta inflammatio admittit ſola, et in malo ſanabili ordinarie ſufficiunt.

§. 207.

FOETOR ORIS, ſemper mor-

 bum

bum quendam in ore latentem arguit: ſpeciatim vel ſalivæ vitium quoddam (119); vel ulcera putrida, ſcorbutica (169) aut alia; vel dentis carioſi præſentiam: incommodum ſat magnum in commercio cum aliis hominibus parit: et non niſi cauſarum remotione ſanatur; palliative interim ſuaveolentia, e. g. terra catechu cum moſcho, aliaque aromata et aromatica (11), in ore detinenda, quoque conveniunt.

Pro parte huc pertinet Georg. Wolfg. WEDEL. Diſſ. *de Foetore præternaturali*. *Reſp.* Rudolph. *Genaſpe*. Jen. 1696.

§. 208.

SITIS NIMIA, quæ ægroti confeſſione patet, nimiam oris interni ſiccitatem (49) pro fundamento agnoſcit, vel propter defectum humorum generalem (89), vel propter liquida, in ore ſpeciatim, a ſpasmo aut æſtu febrili (148), deficientia: motui, nec non loquelæ ac deglutitioni, obeſt; et humectantia (14), in ſufficienti quantitate, aſt, quoad vices ſingulas, moderate calideque aſſumenda, ſuadet.

Vid. Joh. Henr. HEUCHER. Diſſ. *de ſiti immodica*. Reſp. Andr. *Strube*. Witt. 1709.

§. 209.

§. 209.

GUSTUS DEFICIENS, exinde dignoſcendus, quando alimenta, et quæ præterea ore aſſumuntur, guſtus ſenſum non, uti debent, afficiunt: vel fundamentum habet in ſalivæ defectu (109), vel in laxitate fibrarum ad linguæ tegumenta componenda pertinentium (54), vel paralyſin ejusdem (195); aliquando febris (148) eſt conſectarium: et cauſarum remotionem poſtulat.

§. 210.

ANGINA, quæ eſt inflammatio faucium, cum febre continua proportionata (142. 150): diſtinguitur in *notham* ſive *ſpuriam*, quæ mitior eſt, in externis potiſſimum, ſive gulam tegentibus, partibus reſidet, atque lymphaticam potius format inflammationem (144), quam ſanguineam, aut certe ultra hanc ultimam leniorem (143) non aſcendit; et *veram*, quæ ſanguinea eſt, vehementior multo, et internas oris partes occupat. Viſui patet, niſi ſedes ultimæ retrorſum nimis hæreat, in quo caſu ex effectibus hæc dignoſcenda venit. Cauſæ hujus inflammationis, præter generales, ſunt: aëris frigidi, poſt incaleſcentiam, in gulam illapſus immediatus et ſubitus; acria (11), ad fauces delata; vociferationes, cantus, clamores fortiores, diu protracti.

Respirationis nec non deglutitionis, itemque loquelæ, impedimentum, aliquando maximum, pro diverso morbi gradu, inducit. Utplurimum, licet gravior, et ad quatuordecim dies extensa, discussione terminatur, quod præprimis *notha*, ceu mitior, observat: aliquando tamen, et reliquæ inflammationis consequentiæ accedunt. Præter consuetam inflammationis medelam, si gravior fuerit, largam venæctionem, et purgantia, revellendi scopo adhibita, postulat: externa quoque anodina et discutientia (59. schol.), nec non quælibet, quæ præterea revellentem virtutem edunt (177, *), admittit. Malo gravissimo, si suffocationis periculum accedat, urgente necessitate, laryngotomia opponitur, de qua in chirurgicis.

* Distinctio anginæ ulterior, ab autoribus facta, in *Cynanchen*, *Paracynanchen*, *Synanchen*, *Parasynanchen*, superflua est, cum non nisi gradum morbi, sedemque diversam indicet, in reliquis vero nullam mutationem inferat.

** Vid Anton. VARI Diss. *de Angina*. Resp. Joach. *Elsner*. Jen. 1634. Theodor. SCHENCK. Diss. *de Angina*. Resp. Godofr. Samuel. *Polisio* Jen. 1661. Georg. David. SULTZ. Diss *de Angina*, *strangulationem æmulante affectu*. Altorf. 1677. Joh. Gothofr. BERGER. Diss. *de Angina*. Resp. Christian. Ludov. *Welsch*. Witt. 1691. Aug. Quir. RIVI-

RIVIN. Diſſ. *de Angina.* vid. Ej. *Diſs. Med.* Diſſ. XIII. Georg. DETHARDING. Diſſ. *de Cynanche.* Reſp. Chriſtoph. Erneſt. STEINBACH. Roſt. 1723. Simon. Paul. HILSCHER. Diſſ. *de Angina.* Reſp. Chriſtian. Henr. *Zeideler.* Jen. 1743. &c.

*** Emeticum quidem in hoc morbo, quin etiam in ejus gradu ſummo, laudat Touſſan. Gilbert. BOULLAND Quæſt. Med. *An Anginæ Gangrænoſæ Emeticum?* Reſp. Anton. *Garnier.* Aff. *Paris.* 1750. Facile tamen apparet, vomitus medicamento productos nec convenire Anginæ, nec Gangrænam præcavere, aut aut illi jam præſenti medelam afferre poſſe.

§. 211.

APHONIA ſive *impotentia loquendi*, quacum æger aut plane mutus deprehenditur, aut non, quemadmodum alii homines, loquelæ uſu libero ac plenario gaudet: vel eſt conſequens ſurditatis connatæ (200): vel vitium quoddam in lingua, larynge, reliquisque loquelæ inſervientibus partibus ſupponit, potiſſimum paralyſin muſculorum dictas partes moventium (195): vel ſpasmum (139) earundem partium fortiorem, ex aliis morbis ortum nonnunquam; vel anginam (210); vel affectus ſoporoſos (193); vel laryngis, a re illapſa, anguſtiam aliqualem; ac præterea poſt Tracheotomiam, quamdiu aëri nova via patet in aſperam arteriam, obſerva-

ſervatur. Et harum cauſarum remotionem expoſcit: pro hujus ſcopi obtinendi poſſibilitate ſanabilis, aut ſecus.

Vid. Rud. Wilh. CRAUSII. Diſſ. *de Aphonia*. Reſp. Chriſtian. *Bilhoch*. Jen. 1702. Georg. Wolffg. WEDEL. Diſſ. *de Voce, ejusque affectibus*. Reſp. Günth. Chriſtoph. *Schelhammer*. Jen. 1677.

§. 212.

RAUCEDO deſignat vocem claram et ſonoram proferendi impotentiam, propter ſiccitatem in aſpera arteria contranaturalem, ab inflammatione ſeroſa (145), ibidem praeſente, ortam: in qua intus in ore, quousque viſus pertingit, morboſi nihil obſervatur, nec dolor ſenſibilis urget.

Cauſa obſtructionis arteriarum ſecernentium, eſt vel ſpasmus (139), praeſertim ab aëris frigidi, poſt incaleſcentiam praegreſſam, in gulam introitu ſubitaneo: vel partium vicinarum inflammatio ſanguinea (143), unde et gravedini (202) et tuſſi (213) ſubinde admiſcetur: vel humorum ſpiſſitudo (90), nonnunquam ab admixto contagio venereo, aut ſcorbutico generata (168-169): aliquando etiam jungitur aſthmati (214).

Loquelam non niſi voce demiſſa, et magna cum moleſtia edi patitur morbus, imo adeo

adeo' suppressam interdum, ut eadem nihil significet, adeoque æger vix, nec sine speciali attentione, intelligatur. Utplurimum brevi discutitur: interdum tamen diutius, et ad annos, durat. Chronica facta, sive propter mali magnitudinem, sive propter medelam adhibitam incongruam, partibus affectis plenariam tandem atoniam (137) inducit.

Aliquando in sanguineam mutatur inflammationem, vicina quoque loca aggredientem, atque sic tussim aliosque pectoris morbos post se trahentem. Medicamenta postulat attenuantia fortiora (14), potissimum in forma decocti calide haurienda.

Vid. Georg. Wolfg. WEDEL. Diss. *de Raucedine.* Resp. Georg. Frid. *Kinner.* Jen. 1683. Aug. Quir. RIVIN. Diss. *de Raucedine,* vid. Ej. *Diss. Med.* Diss. XIV.

§. 213.

TUSSIS est violenta thoracis concussio, veniens ab irritatione, quam inflammatio, in Aspera arteria residens, producit. Distinguitur in *humidam*, quæ secum habet excretionem materiæ, vel tenuioris serosæ, vel mucidæ spumosæ, aliquando purulentæ quodammodo: *siccam*, in qua ejusmodi excretio deficit: *ferinam*, ubi tussis quæcunque

que, in gradu maximo præſens, continua moleſtat, nec inducias concedit fere ullas: *vomitoriam*, quæ intermiſſiones habet ſatis diuturnas, aliquot horas interdum durantes; quæ vero poſtea redit vehementior, et, propter concuſſionem atque irritationem ventriculi, vomitus ſæpiſſime inducit: ac denique *convulſivam*, infantibus familiarem, eamque, propter vehementiam, convulſionibus ſtipatam. Componitur ex inflammatione (143) partium prædictarum, et ſimul liquoris bronchialis, vel tenuioris vel craſſioris, abundantia (108) aut defectu (109): atque interdum vomitu (235), aut convulſionibus (140).

Inflammatio, tuſſis fundamentum, non totam ſimul aſperam arteriam occupat, ſed mox laryngem, et tracheæ portionem ſuperiorem, præ ceteris infeſtat, ibidem continua titillatione, irritatione et dolore ſe prodens, quod ordinarie contingit in tuſſi *ſicca*: mox inferiorem cum bronchiis; atque tunc moleſta potius pectoris et bronchiorum oppletio ſentitur ab ægroto; ac in utroque loco, aliquando glandulas ſpeciatim, aliquando puncta glandulis vacua, ſecundum ſcilicet materiæ exſcreatæ variam conſiſtentiam, in tuſſi *humida*.

Cauſa inflammationis præſertim eſt præcedens ſpasmus (139) gravior, ab aëre frigido

do, in tracheam, poſt incaleſcentiam, immediate per os apertum et ſubito irruens: aliquando partium vicinarum, pleuræ, pulmonis, diaphragmatis, ventriculi, hepatis, inflammatio (219. 220. 228. 239. 242), aſperæ arteriæ tandem communicata. Interdum et irritatio ſupradicta, ſine inflammatione præſente, oritur a guttula quadam potulenti, inter bibendum forte in laryngis cavitatem illapſa; ab acribus, a fumo tabaci; vaporibus, pulvere, omnique alia re ſimili, tracheæ moleſta: in quo tamen caſu malum ordinarie eſt tranſitorium ſolummodo.

Quælibet tuſſis verno tempore accedens, mitior eſt autumnali. Sicca tuſſis rite tractata, brevi ordinarie in humidam tranſit. Humida quoque utplurimum brevi ſolvitur, interim et aliquando diu ſatis durare poteſt. Chronica facta, ſive ſicca, ſive humida, itemque vehementior quævis, aſthmati (214) dat occaſionem: eademque, propter adjunctam continuam et fortiorem pectoris commotionem, pulmonum tandem inflammationem, ejusque ultimato ſuppurationem, ſive phthyſin (155) producit. Singulis quoque raucedo (212) nonnunquam jungitur: et vehementior quælibet, ſanguinem aliquando e naribus faucibusque proritat: quin etiam, præter pectus, caput quoque et abdomen doloribus, a violenta iſta concuſſione, quam ſecum ducit

ducit, ortis, infeſtat; aut dolores ibidem forte præſentes auget: adhæc congeſtionibus humorum ad caput, indeque faciei intumeſcentiam, plus minus diu durantem, aliaque conſectaria gignit.

Mediate interim tuſſis, dum ſolidas æque ac fluidas partes ad majorem incitat motum, ſi vehementior non fuerit, quandam corpori utilitatem afferre poteſt: tunc quippe excretiones promovens; et canales mediocriter obſtructas, aucto hoc ſanguinis, inſimul autem vires corporis non excedente, motu reſerans.

Medicamenta, exceptis, quæ morbis admixtis, vomitui imprimis, et convulſioni debentur, inflammationi contraria poſtulat, et inter attenuantia, ea, quæ pectoralia ſive bechica dicuntur ſpeciatim; aliquando incraſſantia bechica (15): una cum regimine diaphoretico, potulentorum non niſi calidorum aſſumptione; et colli imprimis ac pedum ſpecialibus, conſuetisque ſupperaddendis, tegumentis fotu.

* Vomitoria tuſſis eadem eſt, quam autores *tuſſim ſtomachalem* nominant. Ultima interim denominatio deceptricem hanc ideam facile parit, ac ſi tuſſis, quæ eſt pectoris morbus, in ventriculo, adeoque in abdomine, nonnunquam reſidere queat.

** Vid.

** Vid. Guern. ROLFINCK. Diss. *de Tussi.* Resp. Georg. Wolfg. WEDEL. Jen. 1663. Rudolph. Wilh. KRAUSS. Diss. *de Tussi.* Resp. Marc. *Herford.* Jen. 1678. Georg. Wolfg. WEDEL. Diss. *de Tussi.* Resp. Joh. Andr. *Cramer.* Jen. 1688. Paul. Godofr. SPERLING. Diss. *de Tussi.* Resp. Joh. Christoph. *Neide.* Witt. 1708. Mich. ALBERTI. Diss. *de Tussi infantum epidemica.* Resp. Anton. Guil. PLAZ. Hal. 1728. Nicol. ROSEN Diss. *de Tussi.* Resp. Eberhard. *Rosen.* Pars. I. Upsal. 1739. Ej. Pars. II. 1741.

*** De morbis Thoracis variis simul agunt Georg. Ern. STAHL. Diss. *de affectibus pectoris.* Resp. Frid. *Gesner.* Hal. 1710. Henr. Frid. DELII. Diss. *de Consensu pectoris cum infimo ventre.* Hal. 1743.

§. 214.

ASTHMA dicitur respiratio maxime impedita, propter oppletionem asperæ arteriæ ejusque ramorum a muco, ibidem plus minus abundante. Distinguitur in Asthma proprie dictum: atque hoc iterum in *humidum*, quod majorem muci secretionem habet junctam; *siccum*, ubi tanta muci copia non secernitur; et in *catarrhum suffocativum*, qui est asthmatis humidi gradus maximus: nec non in improprium sive latius dictum, aut *convulsivum*, vel *spasmodicum*, in quo spasmus, aut convulsio, pectoris respirationem impedit. Componitur ergo e majori vel minori inflammatione (142); eaque utplurimum lymphatica atque

que ſeroſa (144. 145): muci trachealis abundantia (108): et aliquando e ſpasmo (139) partium thoracis, aut convulſione muſculorum pectoris (140). Cauſam conſtituunt, mala thoracis conformatio, humorum ad pectus congeſtio (88): muci ac ſeri abundantia generalis (104. 106), propter temperamentum phlegmaticum, aërem humidum, transpirationem ſuppreſſam: refrigerationes diuturnæ aut ſubitaneæ: ſcabies (167) repulſa, aliaque ulcera chronica, e. g. achores in infantibus, nec non arthritis (288) retrogreſſa, prouti ſcilicet autores perhibent.

Siccum aſthma reſpirationem inducit laborioſam, plus minus brevem, celeremque: et ſibilum in pectore atque ſonum acutum in reſpirando: eſtque in illo canalium a muco obſeſſio major, quam ejusdem actualis ſecretio. *Humidum*, vehementiori comitatur ſibilo, et ſono in pectore, quaſi ebullientis ſpumæ, una cum raucedine (212), aut ad minimum aſperitate vocis: itemque exſcreatione muci cujusdam per leniorem tuſſim, aſt ſine levamine. Generatim eſt malum pertinax et chronicum, quod phthyſi (155) viam facile ſternit. Medicamenta requirit attenuantia (14), expectorantia (15) calide haurienda: et præterea, quæcunque affluxum humorum ad pectus avertunt, cum regimine diaphoretico accuratiori.

* Aſth-

* Asthmatis variæ in autoribus prostant divisiones. Ac potissimum tres morbi admittuntur gradus: lenior, *Dyspnoea*, dictus; mediocris, *Asthma* speciatim appellatus; et summus, in quo æger non nisi erecta cervice spiritum ducit; hunc *Orthopnoeam* nominant.

** Vid. Mich. GRISCOV. Diss. *de Dyspnoea*. Basil. 1606. Jacob. TAPPII. Diss. *de Asthmate*. Resp. Hieron. *Eberhardt*. Helmst. 1649. Aug. Quir. RIVIN. Diss. *de Asthmate*. Resp. Steph. Caspar. *Pertsch*. Lips. 1684. Georg. Wolfg. WEDEL. Diss. *de Asthmatis mechanica*. Resp. Joh. Tobia. *Schmid*. Jen. 1700. Joh. Gothofr BERGER. Diss. *de Difficultate respirandi*. Resp. Nathanael. *Heer*. Witt. 1700. Georg. Frid. FRANCI DE FRANCKENAU. Diss. *de Asthmate*. Resp. Daniel. *Wagner*. Hafn. 1706. Herm. Frid. TEICHMEYER. Diss. *de Asthmate sanguineo*. Resp. Henr. *Berlage*. Jen. 1710. Christian. VATER. Diss. *de ægris Asthmaticis rite judicandis et curandis*. Resp. Johann. Frid. *Nicolai*. Witt. 1724. Mich. ALBERTI. Diss. *de Spirandi difficultate*. Resp. Mich. *Somm*. Hal. 1726. Abrah. VATER. Diss. qua *Casus singularis Asthmatis a depressione sterni, ex febre purpurata, cum Orthopnoea affligente reportati, sola thoracis artificiali constrictione curati*, *exponitur*. Respond. Joh. Otto. *Arnoldt*. Witt. 1730. Mich. Joseph. MAJAULT. Quæst. Med. *An Asthmati Thermarum potus?* Resp. Carol. Lud. *Liger*. Aff. Paris. 1741. Christian. SENDEL. Diss *de Respiratione difficili*. Erford. 1743. Laur. HEISTER. Diss. *de Asthmate scirrhoso*,

so, hactenus fere neglecto. Resp. Christoph. Henr. *Duncker.* Helmst. 1749. &c.

§. 215.

Catarrhus suffocativus, qui est asthmatis humidi (214) gradus maximus: maximam inducit pectoris, a muco continuo affluente, oppletionem; virium prostrationem summam, atque corporis inquietudinem ingentem; rejectionem muci, striis sanguineis nonnunquam mixti; tussim interdum parvissimam, imo et aliquando nullam. Aut brevi remediis appropriatis discutitur: aut, intra quatuor viginti horas utplurimum, fit lethalis: et, superatus, facile sive statum valetudinarium, sive phthysin (155) relinquit. Medela eadem est, ac in asthmate humido.

Vid. Georg. Wolfg. WEDEL. Diss. *de Catarrho suffocativo.* Resp. Georg. Frid. *Aeplinio.* 1681. Joh. Gothofr. BRENDEL. Diss. *de Catarrho suffocativo.* Resp. Joh. Christian. Conr. Ludolph. *König.* Gött. 1746.

§. 216.

Asthma convulsivum, sive *spasmodicum*, anxiam denotat sive laboriosam respirationem propter spasmodicam (139) pectoris constrictionem, in partibus musculosis ad convulsiones (140) usque ascendentem; in qua tamen

tamen nulla adeſt tuſſis, nec ſibilus, nec ſonus ebullientis quaſi in aſpera arteria ſpumæ, quemadmodum in aſthmate proprie dicto (214); neque tandem in coſtis, aliisque thoracis partibus, vitium ullum. Cauſam conſtituunt præſertim: plethora (96), poſt ſanguinis evacuationes neglectas aut hæmorrhagias emanentes (171); vita laborioſa in otioſam mutata, ſaburra primarum viarum (237); morbus hypochondriacus (256), aliique ſpasmodici; arthritis repulſa (288).

Compreſſionem ſummam in thorace et circa ſcapulas producit; reſpirationem brevem; cordis palpitationem (224); faciei colorem inæqualiter rubicundum, cum vaſis, præſertim circa tempora, turgentibus: et prouti affectus ſpasmodicus quilibet, per paroxysmos affligit. Præterea facile fit habituale, atque tunc et ſæpius revertitur, et aliis pectoris valetudinibus variis anſam ſubminiſtrat. Medicamenta requirit ſpasmo contraria, cum regimine diaphoretico moderato, calidorum ad pedes applicatione, reliquisque, quæ humores a pectore revellunt.

Vid. Frid. HOFFMANN. Diſſ. *de Aſthmate convulſivo cum hydrope pectoris.* Reſp. Joh. Georg. *Lanckiſch.* Hal. 1707.

§. 217.

INCUBUS est spasmodica pectoris constrictio (139), durante somno infestans vel propter plethoram (96), vel propter saburram in primis viis hærentem (237), accedente situ, durante somno, tali, ut corpus resupinum, non lateraliter, jaceat. Aegro dormienti sensum ponderosæ alicujus molis, pectori incumbentis, imprimit; respirationem præterea facit anxiam, et adeo impeditam, ut neque movere corpus possit æger, neque, quod tentat, clamore edito, auxilium implorare; et, quando hæc omnia contingunt, status quidam adest inter dormiendum et vigilandum intermedius. Malum constituit transitorium, periculo ulteriori vacuum, et quamprimum in conamine suo evigilat æger, evanescens; contumax tamen aliquando, sæpiusque recurrens: causarum remotione, ac præservandi fine, decubitu in latus alterutrum sanandum.

Vid. Christoph. SCHELHAMMER. Diss. *de Incubo.* Resp. Joh. Henr. *Hasselt.* Jen. 164[illegible] Guern. ROLFINCK. Diss. *de Ephialte.* Res[illegible] Georg. Christoph. *Petri.* Jen. 1658. Geor[illegible] Wolfg. WEDEL. Diss. *ægrum Incubo laboran[illegible] tem sistens.* Resp. Georg. Frid. *Aeplinio.* Jen. 1678. Herm. Frid. TEICHMEYER. Dis[illegible] *de Incubo.* Resp. Daniel. *Textoris.* Jen. 174[illegible]

§. 21[illegible]

§. 218.

FEBRIS LACTEA, puerperis, in primis poſt partum diebus, propria, eſt febris continua mitior, cum inflammatione leniori, et intumeſcentia mammarum conjuncta: conſtat igitur, ex harum inflammatione leniori (143), ductuum lactiferorum dilatatione (57), et febre continua proportionata (150). Cauſa eſt congeſtio ſanguinis ad mammas poſt partum, cui ſitus et vaſorum ſanguiferorum et ductuum lactiferorum liberior favet.

Dolorem (138) infert, pro diverſa ægrotarum ſenſibilitate ſpeciali, vel majorem vel minorem, et aliquando inſignem, In lactentibus vix unum alterumve diem durat, quoniam in his ductus lactiferi repleti ſuctione continuo evacuantur; atque ſic ab iisdem compreſſa, ideoque anguſtata, vaſa ſanguifera, pro neceſſaria inflammationis discuſſione, liberantur brevi; in ductibus etiam diſtenſio haud multo poſt in conſuetudinem abit innocuam. In non lactentibus vero, non modo diutius perſeverat, ac majorem inducit dolorem, mammis interdum ſub axillis usque tumentibus: ſed et quaslibet inflammationis effectus, imprimis ſuppurationem, poſt ſe trahere poteſt.

Medela non alia eſt, quam in reliquis febribus continuis. Extenſio vero mammarum præſervative harum compreſſionem lenem per impoſita ſplenia, ac faſcias idoneas, ſuadet: curative autem remedia, pro diverſo doloris gradu, reliquisque circumſtantiis, vel relaxantia (11), vel attenuantia (14), externe imponenda; aut, ſi hæc non ſufficiant, lactis per vices, vel ope balnei vaporoſi; vel vitrorum, ad id aptorum, ſuctoriorum; vel ſuctionis, modicæ ac, ſi opus, reiteratæ, eductionem poſcit. Conſequentiis quoque extenſionis ulterioribus, ſi quæ ſuccedant, media debita, e chirurgicis autoribus petenda, opponantur.

Vid. Phil. Adolph. BÖHMER. Diſſ. *de Febre lactea puerperarum* Reſp. Henr. Ludov. *Woltersdorff.* Hal. 1742. Nec non Joh. Georg. A BERGEN Diſſ. *de febribus puerperarum.* Reſp. Frid. Wilh. *Prætoric*, Françof. ad. V. 1733.

§. 219.

PLEURITIS, PERIPNEUMONIA, denotat inflammationem vel in pleura, vel in pulmone alterutrius lateris contingentem, ſanguineam, in ſuppurationem ordinarie abeuntem, cum febre continua graviori (153). Cauſa, praeter conſuetas inflammationum cauſas, potiſſimum eſt, aër fri-

frigidior, poſt præcedentem incaleſcentiam, ſubito in tracheam illapſus.

Dolorem producit in laterali thoracis regione, punctorium, continuo affligentem, et, in Pleuritide, acutiſſimum: nec non reſpirationem, propter hunc dolorem, breviſſimam, abdominalem potius, quam pectoralem: tuſſim (213) primo ſiccam, mox vero in humidam mutatam: ſputum, primo cruentum ſanguinis floridi, cum muco commixti, quod die morbi tertio, vel quarto utplurimum, mutatur ſenſim, cum doloris punctorii remiſſione aliquali, in purulentum, quod ipſum, poſt diem morbi ſeptimum ordinarie, ceſſat pedetentim: reliquos etiam febris continuæ gravioris effectus ſecum ducit. Atque ſic, inflammatione conſueto more in ſuppurationem verſa, et pure per tuſſim rejecto, poſt ſeptimum ciriter, aut undecimum, diem morbus terminatur, utplurimum cum largo ſudore, reliquias febris diſcutiente, Speciatim autem inflammatio pleuræ hujus cum pulmone coaleſcentiam (86) relinquere poteſt. Et ſputi jam purulenti in ſanguineum denuo mutatio, cum effectibus prioribus recrudeſcentibus, mali utplurimum eſt ominis.

Medela ex inflammationis, et febris continuæ, ac tuſſis, conſueta tractione eſt compo-

 ſita

ta: præterea expectorantia, nec non discutientia (59. schol.), atque anodina externa, dolenti loco calide potissimum superhabenda conveniunt.

*Effectus probant, quod in Pleuritide inflammatio non modo pleuram occupet, idque primario, sed etiam *pulmonem* et *asperæ arteriæ* ramos: e pulmone namque cruoris floridi proventus, et e bronchiis puris exspuitio potissimum derivari possunt.

** Vid. Herm. CONRING. Diss. *de Peripneumonia*. Resp. Joh. Albert. *Papke*. Helmst. 1676. Georg. Wolfg. WEDEL. Diss. *de Peripneumonia*. Resp. Andr. *Bechmann*. Jen. 1687. Otto. Philip. SCHOTT. Diss. *de Pleuritide*. Altorff. 1724. Mart. Gotthelff. LÖSCHER. Diss *de Mechanismo Venæ Azygæ, Pleuritidis causa*. Resp. Franc. Frid. *Tittmann*. Witt. 1724. Just Godofr. GÜNZ. Diss. *de Derivatione puris ex pectore in bronchia*. Resp. Joh. Henr. *Schmid*. Lips. 1738. Guil. DE MAGNY. Quæst. Med. *An sperma ceti, Narcoticis sociatum, remedium in Pleuritide præstantissimum?* Resp. Lud. Renat. *Marteau*. Aff. Paris. 1744. Christian. Steph. SCHEFFEL. Diss. *de Sanguinis missione in Pleuritide*. Resp. Joh. Caspar. *Scheuring*. Gryph. 1747. Carol. Frid. KALTSCHMIED. Diss. *sistens Pleuritidem veram*. Resp. August. Henr. Ludov. *Teichmeyer*. Jen. 1752. Dan. Wilh. TRILLER. Diss. *de Pleuritide æstiva, varius occurrente*. Resp. Frid. Henr. *Krieger*. Witt, 1752, &c.

*** Eme-

*** Emeticum quidem a nonnullis in Pleuritide, et Cortex peruvianus in morbis pulmonum, in genere laudatur, vid. e. g. Joh. Ludov. BAUDE DE LA CLOY. Quæst. Med. *An in inflammationibus pulmonum, etiam cum sputo cruento, aliquando Emeticum?* Resp. Petr. *Bercher.* Aff. *Paris.* 1741. Thom. *Renat.* GASNIER. Quæst. Med. *An incipienti Pleuritidi aliquando Emeticum?* Resp. Petr. *Chevalier.* Aff. Paris. 1743. et Lud. Claud. BOURDELIN. Quæst. Med. *An Pulmonum etiam in morbis suus sit Kinæ-Kinæ locus?* Resp. Petr. Isaac. *Poissonnier.* Aff. *Paris.* 1744. Ast remedia ista non quadrant, nisi quando dictis morbis alii se jungunt, remediorum laudatorum usum speciatim postulantes, morbi.

§. 220.

VOMICA PULMONIS denotat apostema sive abscessum, post prægressam inflammationem, in pulmone exortum: cujus vel interiora occupat, vel, speciali membrana inclusum, externæ superficiei adhæret; idque vel in uno, vel in ambobus cavitatis thoracis lateribus; aliquando etiam scirrhosis in pulmone concretionibus (175) jungitur. Causæ ejusdem aliæ haud sunt, quam quæ et alibi inflammationem atque suppurationem producunt. Difficultatem respirandi aliqualem infert, tussim siccam (213), et febrem hecticam, seu, quod idem est, *phthysin pulmonalem* (155). Rupta vomica, si extus ad-

hæreat, pus in cavitatem thoracis effunditur, ibidemque *empyema* producit. Medela eadem, quæ in omnibus ſuppurationibus internis, hic quoque valet.

* *Empyematis* ulterior deſcriptio atque medela, cum ad chirurgiam pertineant, ibidem quærantur.

** Vid. Chriſtian. VATER. Diſſ. *de Pulmonum Vomica.* Reſp. Joh. Chriſtoph. *Minner.* Witt. 1700.

§. 221.

PLEURITIS SPURIA dicitur dolor lateris punctorius, mitior, ſine febre, ſaltem ſine manifeſta febre, contingens: in qua conveniunt dolor, ſpasmus, et congeſtio ad pectoris latus (138. 139. 88): una cum, his omnibus facile ſeſe jungente, primarum viarum ſaburra (237): quæque pro cauſa agnoſcit leviſſimam inflammationem ſanguineam (143) in partibus thoracis lateralibus, iis potiſſimum, quæ cavitatem thoracis immediate ambiunt. Dolor iſte adeo acutus, ac in pleuritide vera (219), minime eſt: nec continuus, ſed potius intermittens, aut ſaltem remittens; reſpirationem quoque, licet propter dolorem proportionate impeditam, multo tamen liberiorem ſecum habet: maxima vero differentia obſervatur inter febres

bres, his morbis junctas, quae in vera pleuritide est vehemens admodum; in spuria autem adeo mitis, ut aliquando nulla appareat. Morbus quoque post paucos dies cessat ordinarie, nec periculum ulterius infert: praeter laxans remedium, leniorem diaphoresin, et mitiora contra spasmum medicamenta, vixque plura, postulans.

Vid. Carol. Frid. KALTSCHMIED, Diss. *de Pleuritide vera atque spuria*. Resp Jacob. Frid. *de Neufville* Jen. 1751. Nec non Joh. Henr. SCHULZ. Diss. *de Dolore lateris idiopathico et sympathico*. Resp. Georg. *Thomas*. Hal. 1737. Joh. Gothofr. BRENDEL. Diss. *de Valetudine ex hypochondriis*. Resp. Joh. Ludov. *Süstermann*. Gott. 1752.

§. 222.

HYDROPS PECTORIS hydropis interni (172) est species, in quo serum e canaliculis, in pleura dispersis, minimis extravasatum, pectoris cavitatem, alterutram ordinarie, implet. Hanc ultimam, quia ossibus ea circumdatur, non, ut reliqui hydropes proprie dicti, extendit; neque aquarum fluctuationem palmae, extus applicatae, sinit percipere humor collectus: sed potius diaphragmati incumbens, gravitate sua, tam manifestat sese, quam respirationem impedit. Reliqua omnia cum hydropibus internis in genere habet communia.

Quae

* Quæ, præter adducta, ſpectant ad morbum propoſitum, ea in chirurgicis docentur.

** Vid. Joh. Henr. SCHULZ. Diſſ. *de Hydrope pectoris ſaccato.* Reſp. Anton. *Senger.* Hal. 1742.

§. 223.

HÆMOPTYSIS, ſive *ſanguinis ſputum*, hæmorrhagiæ (170) ſpecies, in qua ſanguis, e pulmone prodiens, per os exſpuitur rubicundus et floridus, in majori aut minori quantitate, et leviſſimo cum negotio; licet interdum lenior tuſſicula jungatur. Cauſæ, huc præ ceteris referendæ, ſunt, uſus fortior inſtrumentorum muſicorum, quæ ore inflantur; vociferationes, cantus, conciones, diuturnæ et vehementes: aliquando ſanguinis fluxus naturalis defectus. Sæpius recurrens, pulmonis læſionem majorem inducit, et phthyſi pulmonali (155) viam parit. Reliqua omnia, ut in hæmorrhagiis.

* *Sanguis* aliquando, cum vel ſine tuſſi (213) admixta, per os ejicitur nigricans *coagulatus*, qui e vena quadam gulæ provenit aperta, aut e nare defluit ad oris portionem poſteriorem; morbumque conſtituit, cum hæmoptyſi non confundendum.

** Vid. Herm. CONRING. Diſſ. *de Hæmoptyſi.* Reſp. Martin. *Homeyer.* Helmſt. 1675.

1675. Joh. Philipp. EYSEL. Diff. *fiftens Aegrum Hæmoptyfeos malignæ*. Refp. Joh. Ehrenfried. *Vogler*. Erford. 1700. Chriftian. *Vater*. Diff. *de Hæmoptyfi*. Refp. Joh. Ignatio. Godofr. *Ulrich*. Witt. 1702. Georg. DETHARDING. Diff. *de Hæmoptyfi ex infaufta confolidatione ulcerum pedum*. Refp. Ludolph, *Schæffer*. Roft. 1725. Herm. Frid. TEICHMEYER. Diff. *de Hæmoptyfi*. Refp. Joh. Jac. Henr. *Kobelt*. Jen. 1727. Abrah. VATER. Diff. *de Hæmoptyfi*. Refp. Chriftian. Frid. *Michaelis*. Witt. 1732. Joh. Gerard. *Wagner*. Tract. *de Hæmoptoes, imprimis vero habitualis feu phthificæ, expeditiori quadam, efficaciorique curatione*. Lipf. 1742. Chriftian. Steph. SCHEFFEL. Diff. *de Hæmoptyfi*. Refp. Joach. Georg. *Odebrecht*. Gryph. 1747. Joh. Gottlob. KRÜGER. Diff. *de Hæmoptyfi Hæreditaria*. Refp. Joh. Henr. *Schrader*. Helmft. 1752.

§. 224.

PALPITATIO CORDIS denotat motum mufculi hujus convulfivum, qui, fine caufa manifefta, fubito velocior multum et vehementior fit: adeo ut, præter ægroti confeffionem, motus ille reciprocus, ultra modum auctus, manu, regioni cordis impofita, percipi queat. Caufam conftituunt plethora; fpasmus primarum viarum, aliique morbi fpasmodici, fpasmo eousque excurrente, e. g. afthma convulfivum (216), morbus hypochondriacus (256); motus fanguinis fubito auctus, ab animi et corporis commo-

motionibus fortioribus; aliquando polypus cordis (225), et hydrops pericardii (226); aut alia quævis irritatio major, cordi communicata. Anxietates præcordiorum parit, et reſpirationem difficilem: motum corporis localem, morbo durante, interdicit: atque per paroxysmos invadit. Tranſitorium conſtituit malum, plus minus diu affligens, et citius aut tardius revertens: cauſarum remotione ſanandum: atque, pro hujus medelæ poſſibilitate, plenariam admittit ſublationem, vel non.

Vid. Herm. CONRING. Diſſ. *de Palpitatione cordis.* *R*eſp. Georg. *Huhn.* Helmſt. 1643. Joh. Theodor. SCHENCK. Diſſ. *de Palpitatione cordis.* Reſp. Caſpar. *Gigas.* Jen. 1662. El. Rudolph. CAMERAR. Diſſ. *de Palpitatione cordis.* Reſp. Joh. Cunrad. *Remmelin.* Tübing. 1681. Joh. Gothofr. BERGER. Diſſ. *de palpitatione cordis.* Reſp. Joh. Nicol. *Leuterding.* Witt. 1702. Joh. Adolph. WEDEL. Diſſ. *de Palpitatione cordis.* Reſp. Joh. Chriſtian. *Jacobi.* Jen. 1743. *De inflammatione cordis agit,* Joh. Gothofr. BERGER. Diſſ. Reſp. Joh. Chriſtian. *Fabricio.* VVitt. 1717.

§. 225.

POLYPUS CORDIS, eſt fibroſa ſanguinis in maſſam unicam, plus minus ſolidam, concretio, in cordis ventriculo quodam, aut vaſorum majorum principio contingens, diverſæ magnitudinis ac figuræ: ibidem

ibidem post mortem reperiundus, durante vita autem nullam admittens diagnosin certam: qui parietibus partium dictarum hinc inde affixus, in majori vel minori spatio, cavitatem, in qua hæret, pro ratione voluminis implet, adeoque sanguini, per illam transeunti, spatium adimit: unde motus cordis inordinatus redditur, aliquando in palpitationem (224) ruit; imo, accrescente sensim polypo, tandem penitus, et subito sistitur. Caussam, quæ prima ortum polypo dat, in spissitudine sanguinis quærendam autores volunt. Medelam vero medicina nullam afferre potest: præter palliativam, plethoræ, potissimum et humorum spissitudini tollendis dicatam (90. 96).

Vid. Paul. DONS. Diss. *de Polypo cordis et vasorum ejus*. Resp. Jan. Severin. *Wartberg*. Hafn. 1714. Georg. GOETZ. Diss. *de Polyposis concretionibus, variorum in pectore morborum caussis*. Altorff. 1726. Frid. HOFFMANN. Diss. *de præcavenda polyporum generatione*. Resp. Phil. Adolph. *Böhmer*. Hal. 1736. Georg. Aug. LANGGUTH. Diss. *de Polypo infantis rhachitici*. Resp. Samuel. Gottlieb. *Eichler*. VVitt. 1744.

§. 226.

HYDROPS PERICADII, hydropis interni (172) species, exsurgit, quando

do pericardium ſeroſo humore impletur. Certam diagnoſin, durante vita, non habet: interim palpitationes cordis (224) frequentiores ac fere continuæ, ſine alia quadam cauſa, morbum hunc manifeſtare creduntur. Reliqua omnia cum hydropibus internis perfecte coincidunt. Non tamen adeo, ut reliqui hydropes, in ſecretionibus mutationem affert, quoniam ſeri collecti copia in minori ſemper quantitate accumulata adeſt. Verum et medelam, niſi generalior ſufficiat methodus, omnem reſpuit.

§. 227.

CARDIALGIA, quæ denotat dolorem ſpasmodicum (138. 139), circa præcordia obvenientem: pro cauſa habet, vel ventriculi repletionem atque diſtenſionem nimiam, ab alimentis copioſe ingeſtis; vel flatulentiam (236), primarum viarum ſaburram (237), vermes (245); fruſtulum quodvis durius, et aliqua mole gaudens, deglutitum; vel inflammationem ſtomachi, aut partium vicinarum; aliquando venenum aſſumptum. Preſſiones ac tenſiones circa ſcrobiculum cordis infert, anguſtias et anxietates præcordiorum, et reſpirationem impeditam: qui effectus omnes, vacuo ventriculo, miteſcunt, poſt paſtum vero ingraveſcunt, Interdum nauſeam (234) præcedit, atque vomitum

mitum (235). Vehementior in lipothymiam (181) et convulſiones (140) abire poteſt. Remedia, contra ſpasmum ac dolorem conſueta, poſtulat.

Vid. Zach. BRENDELII. Diſſ. *de Cardialgia.* Reſp. Mich. *Stößel.* Jen. 1630. Joh. Arnold. FRIDERICI Diſſ. *de cardialgia.* Reſp. Chriſtian. Frid. *Richter.* Jen. 1671. Henr. MEIBOM. Diſſ. *de Cardialgia.* Reſp. Thom. *Wilrich.* Helmſt. 1679. Juſt. VESTI. Diſſ. *de Cardialgia.* Reſp. Godofr. *Müller.* Erf. 1697. Joh. Erneſt. SCHAPER. Diſſ. *de Cardialgia.* Reſp. Joach. Theodor. *Hornhart.* Roſt. 1720. Joh. Adolph. WEDEL. Diſſ. *de Cardialgia.* Reſp. Jacob. *Detmers.* Jen. 1742. Georg. Wolffg. WEDEL. Diſſ. *de morbis præcordialibus.* Reſp. Phil. Georg. *Lautitz.* Jen. 1689. Günth. Chriſt. SCHELHAMMER. Diſſ. *de anxietate Præcordiali.* Reſp. Joh. Jac. *Wuttich.* Jen. 1694. Georg. Erh. HAMBERGER. Diſſ. *de anxietatibus.* Reſp. Mich. Jac. *Buch.* Jen. 1751. De *Affectu mirachiali*, huc pro parte referendo, agit Diſſ. Chriſtian. Mich. ADOLPHI. Reſp. Chriſtoph. Benjam. *Sembder.* Lipſ. 1734. De *Oeſophagi Morbis* in genere vid. Frid. HOFFMANN. Diſſ. *de Morbis Oeſophagi.* Reſp. Ern. Gottlieb *Boehm.* Hal. 1722.

§. 228.

PARAPHRENITIS dicitur inflammatio diaphragmatis ſanguinea (143), cum febre continua graviori (153): ſive portio-

 nem

nem hujus musculosam, sive tendineam, morbus proprie occupet. Praeter ceteros dictae febris atque inflammationis effectus, maximum inducit respirationis impedimentum, cardialgiam (227), singultum (229), ac dolorem tantum, ut regio ista trunci exterior ne digiti quidem attactum perferat; haud raro tussim (213) post se trahit; interdum vomitum (235): atque effectus isti, nec non periculum aegroto metuendum, graviores semper sunt, si pars tendinea aegrotet, quam si morbus portionem carneam praeprimis infestet. Reliqua, uti in inflammationibus internis in genere.

Vid. Joh. Henr. SCHULZ. Diss. *de Paraphrenitide*. Resp. Andr. Christian. *Bezel*. Hal. 1742.

§. 229.

SINGULTUS est motus ventriculi, imo et diaphragmatis, convulsivus (140), qui, cum exspiratione plus minus sonora, ventriculum in specie concutit. Causa prae ceteris sunt: ventriculi vel flatulentia (236); vel a cibis, potissimum crudis, austeris, festinanter ingurgitatis, aggravatio; vel a venenis, emeticis, purgantibus drasticis, copioso potu frigido, aut medicamentis nimium frigefacientibus, in calore sumtis, quin

quin etiam ab acrium quorumlibet abuſu, irritatio; vel ejusdem, aut partium vicinarum inflammatio (239. 242); interdum gangræna inſtans (147); ac, ſecundum autores, arthritis (288) repulſa. Pro cauſæ varietate plus minus portendit periculi. Diutius durans, vehementior, aut ſæpius recurrens, inflammationi ventriculi, niſi jam adſit hæc, anſam præbet: Viſcerum inflammationibus gravioribus ſuperveniens, plerumque eſt lethalis. Aliquando chronicus fit, pro more morborum convulſivorum in genere: tunc vero vix eſt exſtirpabilis. Medela, uti in reliquis convulſionibus, eſt: interim in hoc morbo roborantia et diſcutientia externa (59. ſchol.) locum quoque habent.

Vid. Joh. Theodor. SCHENCK. Diſſ. *de Singultu.* Reſp. Joh. Chriſtoph. *Hübner.* Jen. 1667. Georg. Wolfg. WEDEL. Diſſ. *ſiſtens ægrum Singultu ex febre maligna laborantem.* Reſp. Simon. Andr. *Becker.* Jen. 1676. Chriſtian. Steph. SCHEFFEL. Diſſ. *de Singultu.* Reſp. Joh. Georg. Wilh. *Cavan.* Gryph. 1730. Mich. ALBERTI Diſſ. *ſiſtens Caſum ſingultus chronici viginti quatuor annorum.* Reſp. Petr. Nicol. *Nyegaard.* Hal. 1743.

§. 230.

APPETITUS *deficiens* adeſt, quando æger alimenta vel nulla appetit; vel minus, quam ad corporis conſervationem requiritur:

ventriculi, imo et inteſtinorum, atoniam (137), ſenſibilitatem (73) et motum deficientes, ſupponit: utplurimum alius cujusdam morbi eſt conſequens: aliquando ex nauſea (234) oritur, olim propter cauſam quandam accidentalem, qualis e. g. eſt eſculentorum immunda præparatio, concepta. *Anorexiam*, id eſt, a cibis abſtinentiam, hinc chyli defectum (94), et quæ exinde ſucceſſu temporis, ſi diutius duret, ſequitur, maciem et atoniam corporis totius infert. Roborantia medicamenta (11), cum cauſarum remotione, ſuadet: ea interim ſpecies, quæ ex nauſea concepta ortum traxit, tranſitoria eſt, et ſponte ceſſans.

* Anorexiæ diuturnæ exempla autores hinc inde enarrant. Varia eorundem congeſſit Wilh. Huld. WALDSCHMIEDT Diſſ. *de his, qui diu vivunt ſine alimento.* Reſp. Joh. Mich. *Eccard.* Kil. 1711.

** Vid. Guern. ROLFINCK. Diſſ. *de Inappetentia ventriculi.* Reſp. Joh. Matth. *Neſter.* Jen. 1649. Joh. Theodor. SCHENCK. Diſſ. *de Inappetentia ventriculi.* Reſp. Joh. Andr. *Boſſert.* Jen. 1660. Rudolph. Wilh. CRAUSII. Diſſ. *de Anorexia.* Reſp. Martin. Walter. *Offney.* Jen. 1696. Eberh. Joach. SNELL. Diſſ. *de Inappetentia.* Gieſſ. 1743. Andr. El. BÜCHNER. Diſſ. *de Aegrotantium inappetentia ſalutari et morboſa.* Reſp. Anton. Frid. *Lerche.* Hal. 1749.

§. 231.

Appetitus nimius, *Bulimus* quoque dictus et *fames canina*, quando scilicet æger alimentis, ipsi pro conservando corpore sufficientibus, non satiatur: nimiam primarum viarum elasticitatem, adeoque motum (72), habet pro fundamento; necnon liquoris gastrici, vel acrimoniam (112), vel aliam quandam constitutionem specialem; vel saburram ventriculi, aut morbum hypochondriacum (256), aliquando et inediam prægressam, aut morbos, sequitur: chyli abundantiam (93) post se trahit; atque saburræ in primis viis collectioni (237), nisi jam adsit, itemque aliquando atrophiæ (293), et quæ exinde sequuntur, ansam subministrat: causæ remotionem postulat; et parcam, ast reiteratam alimentorum potius, quam nimiam qualibet vice, assumtionem: qui vero inediæ aut morbis prægressis debet ortum, brevi sponte, post sufficientem nutritionem, abit.

Vid. Joh. Theodor. SCHENCK. Diss. *de Bulimo*. Resp. Luca *Schröck*. Jen. 1669. Georg. Wolfg. WEDEL. Diss. *de Bulimo*. Resp. Carol. Gottlieb. *Carsten*. Jen. 1691. Aug. Quir. RIVIN. Diss. *de Fame Canina et Bulimo*. Vid. Ej. *Diss. Med.* Diss. XXI. Georg. Ern. STAHL. Diss. *de* Ἀδηφαγίᾳ *s. intemperantia edendi nocua*. Resp. Herm. *Vogel*. Hal. 1700. Aug. Frid. WALTHER, Diss. *de Obesis ac voracibus, eorum-*

que vitæ incommodis ac morbis. Reſp. Joh. Chriſtoph. *Pohl.* Lipſ. 1734.

§. 232.

Appetitus depravatus, quando nimirum certa alimenta, eaque interdum inconſueta, appetuntur anxie: gravidis præſertim familiaris: diſtinguitur in *Picam*, in qua abſurda; et *Malaciam*, in qua gratiora appetuntur. Cauſa conſiſtit vel in prava conſuetudine, vel in animi per morbum quendam perturbatione: vel, quoad gravidas, in corporis certa nec determinabili conditione. Ventriculum variis, ad nutriendum ſæpe inutilibus, imo et noxiis, repleri facit; et chyli conſiſtentiæ morboſæ (95) occaſionem præbet. Remedia potius moralia, quam phyſica, poſtulat: palliative interim res, quas appetit æger, præprimis ſi hæ aliqua ratione ſint noxiæ, amaris, nauſeoſis, imo et emeticis caute, permiſceantur, ipſo inſcio.

Vid. Joh. MICHAELIS. Diſſ. *de Pica.* Reſp. Henr. *Boezo.* Lipſ. 1638. Bernh. ALBIN. Diſſ. *de Pica*, Reſp. Dieter. *Chriſtiani.* Francof. ad V. 1691 Rud. Wilh. CRAUSII Diſſ. *de Appetitu Ventriculi depravato in Pica et Malacia.* Reſp. Tobia *Dehne.* Jen. 1698.

§. 233.

SODA eſt perceptio acredinis urentis nauſeoſæ, haud raro cum ructibus ejusdem generis

neris conjuncta, in gula ac oesophago sese exserens; propter aliqualem ventriculi atoniam (137), aut saburram ibidem praesentem (237). Post assumta esculenta pinguia eos maxime infestat, qui ejusmodi pinguibus non sunt assuefacti, imprimis si potulentorum, ac praesertim cerevisiae, quaedam quantitas superbibatur: aliquando aromatum in condiendis cibis abusum, aut certorum quorundam ciborum assumtionem, sequitur. Saporem aliquem molestum, et nauseam (234) infert; aliud vero malum non gignit, sed ordinarie transitoria est, rarius in chronicam abiens. Medicamenta absorbentia terrea (14), succus quoque liquiritiae, specialem obtinent in hoc affectu vim.

Vid. Joh. Gothofr. BERGER. Diss. *de Ardore ventriculi. Resp.* Joh. Tobia. *Herweg.* Witt. 1714.

§. 234.

NAUSEA dicitur, quando vel alimentorum praesentia, ac interdum sola recordatio, perceptionem producit, appetitui contrariam; vel, quae ingesta sunt, reditum moliuntur per vomitum. Saburram in ventriculo collectam sequitur, aliquando post praegressum appetitum nimium (231); itemque vermes intestinorum (245), aut mor-

 bos

bos ventriculi varios; nonnunquam immunditiem ciborum, olim obſervatam; aut ſolam aliquando eſculenti cujuslibet nimiam ingurgitationem, nupere factam, et nunc, preſente imprimis eodem cibi genere, animo recogitatam. Salivæ abundantiam in ore (118), non niſi tranſitoriam tamen, provocat ſubinde; vomitum (235) producere poteſt; nec raro eidem præcedit: et cauſæ remotionem poſtulat.

Vid. Frid. HOFFMANN. Diſſ. *de ſpaſmis gulæ inferioris et nauſea*, Reſp. Joh. Chriſtian. *Zweygel*, Hal. 1733.

§. 235.

VOMITUS dicitur motus ventriculi violentus, et ſimul perverſus, quo mediante is ea, quæ in ſe continet, cujuscunque ſint conditionis, per ſuperius guttur, plus minus promte, ejicit: actum hunc vel ſine omni moleſtia abſolvens; vel præcedentibus, aut ſalivæ in ore augmento (118), aut cardialgia (227), aut nauſea (234). Componitur ex irritabilitate atque elaſticitate fibrarum ventriculi nimia (63. 72): ac liquoris gaſtrici abundantia (108), forte et qualitate mutata (112). Irritatio pro baſi habet vel nimiam ventriculi repletionem, interdum ex appetitu nimio ortam (231): vel ſaburram

ram in eodem præſentem (237), vel nauſeam præcedentem (234), vel ejusdem aut partis vicinæ alius inflammationem (239. 242. 243), vel tuſſim graviorem (213), aliquando cardialgiam (227), aliosque ſpasmodicos morbos, quos inter et capitis dolor (177) vehemens recenſeri meretur. Non modo, diutius durans, chylificationem, hinc partium debitam nutritionem, aut impedit, aut tollit: ſed etiam, propter violentum membranarum ventriculi motum, inflammationi, niſi jam adſit, occaſionem dat; ac præſentem auget: nec non fortior quilibet, aut aliquoties reiteratus, bilem ſimul, e duodeno advocatam, prolici facit; et variis in partibus corporis, capite, thorace, abdominis muſculis &c. a violenta, quam exſerit, concuſſione, productum dolorem generat, ac forte præſentem auget; faciei quoque relinquit turgeſcentiam. Mediocris interim, pari ac tuſſis (213) ratione, excretiones promovere, et deobſtruentem efficaciam præſtare poteſt. Interdum chronicus redditur atque habitualis, et periodice recurrens. Remedia poſtulat anodina, et adſtringentia (11. 12).

Vid. Henr. MEIBOM. Diſſ. *de Vomitu.* *Reſp.* Andr. Hermann *Hellberg.* Helmſt. 1678. Joh. Conrad. WITTWER. Diſſ. *de Vomitu Vomitus remedio.* Altorf. 1742. Joh. Henr. SCHULZ.

SCHULZ. Diss. *de Vomitu et Vomitionibus*. Resp. Carol. Gottlieb. *Beer*. Hal. 1742. Joh. Henr. CASSEBOHM. Diss. *de Pathematum ventriculi causis*. Hal. 1750.

§. 236.

FLATULENTIA adest, quando primæ viæ flatibus ultra modum sunt plenæ: ac vel borborygmi in iisdem audiuntur, vel ructus flatusque erumpunt, vel vias istas inflari æger persentiscit, abdominis etiam huc spectans regio præter consuetudinem inflata tensaque deprehenditur. Distingui potest, secundum varias partes morbidas, in *flatulentiam ventriculi*, et *flatulentiam intestinorum*. Componitur e canalis primarum viarum, hinc inde, dilatatione justo majori, et alibi angustia nimia, ac utplurimum illius atonia (137). Pro basi habet vel assumta alimenta flatulenta, id est, quibus copiosus aër est inclusus, vel saburram primarum viarum (237), vel concoctionem minus rite procedentem. Ex assumtis potulentis aut cibis flatulentis orta, transitorium constituit malum: e saburra proveniens, facile fit chronica. Vehementior, et simul diutius protracta, inflammationi (143) primarum viarum ansam præbet, et, accedente forte gangræna (147) earundem crepaturæ. Præterea cardialgiam (227) post se trahere potest; ac in gravidis motum em-

embryonis nimium (280) inducere, atque partus dolores ſpurios (281); aliosque morbos ſpasmodicos: ventriculi autem in ſpecie flatulentia ſingultum (229) aliquando gignit. Remedia poſtulat carminativa (15).

Vid. Georg Ern. STAHL. Diſſ. *de Flatulentia*. Reſp. Joh. Adam. *Knlbel*. Hal. 1708. Joh. Jacob. KIRSTEN. Diſſ. *de Inflatione ventriculi*. Reſp. Franc. Caſpar. *Wiesner*. Altorf. 1749.

§. 237.

SABURRA dicuntur reliquiæ aſſumtorum alimentorum, et præprimis eſculentorum, quæ in primis viis, propter harum atoniam (137), inconcoctæ reſtant, ibidemque corrumpuntur. Pro partium ægrotarum diverſitate diſtingui poteſt in *ſaburram ventriculi*, quæ corrupta potius aceſcit, et in *ſaburram inteſtinorum*, quæ magis ad putredinem vergit. Pro cauſa habet, vel nudam ventriculi factam repletionem nimiam, idque aliquando propter appetitum auctum (231): vel aſſumtorum qualitatem depravatam: vel abſtinentiam a potulentis ſufficientibus, et hinc provenientem incompletam, aut alio modo vitiatam, chylificationem: in inteſtinis aliquando oritur ab alvi ſegnitie (252); interdum a vermibus inteſtinorum demortuis

et

et putrefactis (245), quæ *ſaburra verminoſa* dici meretur. Saburra eo citius exſurgit, quo plures e prædictis cauſis conveniunt. Perceptionem moleſtam in primis viis, ac ſubinde ructus male olentes progenerat: appetitus vitiis (230. 232), ſodæ (233), nauſeæ (234), vomitui (235), flatulentiæ (236), colicæ (253); ac præterea aſthmati convulſivo (216), incubo (217), pleuritidi ſpuriæ (221), cardialgiæ (227), et malo hypocondriaco, (256) aliisque morbis ſpasmodicis: nec non, per canalium nimiam diſtenſionem, dolori (138); et, alia adhuc ratione, congeſtionibus ſanguinis ad caput (96), quæque hinc iterum fluunt, conſectariis diverſis, delirio nonnunquam ſomnolento,(184), interdum noctambulationi (185), viam ſternit. Præter cauſarum remotionem, ac ſaburræ præſentis vel vomitioriis medicamentis, vel laxantibus ac enematibus eductionem, roborantia (11) poſtulat.

Vid. Zach. BRENDEL. Diſſ. *de Ventriculi Imbecillitate*. Reſp. Henr. *Bonhorſt*. Jen. 1638. Frid. HOFFMANN. Diſſ. *de Apepſia*. Reſp. Joh. Georg. *Schultz*. Hal. 1696. *Ej*. Diſſ. *de Bradypepſia ſive tardiori ventriculi concoctione*. *Reſp*. Frid. *Pfenning*. Hal. 1703. Günth. Chriſtoph. SCHELHAMMER. Diſſ. *de Dyſpepſia*. Reſp. Georg. Chriſtian. *Wolff*. Jen. 1695. Brand. MEIBOM. Diſſ. *de Cruditatibus ventriculi*. Reſp. Joh. Brandan. *Voſs*. Helmſt. 1735.

Nec non Henr. Wilh. ARNOLDI. Diss. *de febre stomachali epidemica.* Marpurg. 1727. Joh. JUNCKER. Diss. *de fatis ventriculi dolendis.* Resp. Joh. Gottfr. *Stoecker.* Hal. 1750. Joh. Henr. SCHULZ. Diss. *de Ventriculi et intestinorum ratione in omni morbo habenda.* Resp. Christian. Frid. *Daencke.* Hal. 1738. Tussan. Gilbert. BOULLAND. Quæst. Med. *An morbi chronici a vitio digestionum?* Resp. Joseph. Maria. Franc. *de la Sone.* Aff. Paris. 1741.

§. 238.

VOMITUS CRUENTUS, ex hæmorrhagia (170) et vomitu (235) compositus: in quo sanguis, in ventriculum effusus ordinarie, ibidemque post aliquam moram coiens, coagulatus et niger evomitur: omnes vomitus atque hæmorrhagiæ edit effectus: et in reliquis quoque cum duobus hisce morbis combinatis coincidit.

Vid. Georg. Wolffg. WEDEL. Diss. *sistens ægrum vomitu cruento laborantem.* Resp. Mich. *Sprögel.* Jen. 1680. Georg. DETHARDING. Diss. *sistens ægrum hæmorrhagia ventriculi spontanea gravissima correptum.* Resp. Georg. Henr. *Blumenthal.* Havn. 1733.

§. 239.

VENTRICULI INFLAMMATIO, quam, ut reliquas inflammationes internas (143), febris continua gravior (153) con-

concomitatur: ardorem infert, in ventriculo, post assumpta imprimis liquida, aliaque quaelibet, manifestum: vomitus (235) copiosos, a parvi assumpti cujusvis liquidi copia, cum anxietatibus praecordiorum summis, vomituum praecursoribus facit: humores tamen per vomitum rejecti, assumtorum quantitatem longe superant; et prodeuntes calorem insignem obtinent, imo et vasis, quibus excipiuntur, eundem communicant: tussi (213) quoque occasionem dare potest, inflammatione scilicet ad bronchia excurrente: nec non cardialgiae (227), si stomachum in specie laedat. Reliqua, ut in inflammationibus internis in genere.

Vid. Frid. HOFFMANN. Diss. *de Inflammatione. Ventriculi.* Resp. Christ. Franc. *Engel.* Hal. 1706. Nicol. ROSÉN. Diss. *de Inflammatione ventriculi.* Resp. Zach. J. *Strandberg.* Upsal. 1741. nec non Herm. Frid. TEICHMEYER. Diss *de Spasmo ventriculi.* Resp. Joh. Frid. *Scherff.* Jen. 1743.

§. 240.

ASCITES, hydropis interni (172) species, in quo cavum abdominis sero extravasato repletur: exceptis, quae cum omnibus internis hydropibus habet communia; abdomen in tota ejus peripheria tumidum atque tensum monstrat, artus infimos cum genitalibus ordinarie oedematosos, superiores autem exsuccos et aridos: aquarum in abdomine flu-

ctua-

ctuationem percipere ſinit poſt lenem hujus cum palmis percuſſionem: urinæ proventum ſecum habet ſolito parciorem, nec non ſitim; ac denique febrem continuam (150), vel mitiorem vel fortiorem, propter aliqualem viſcerum abdominis ſive compreſſionem, ſive a nimia humiditate laxitatem, et hinc generatam obſtructionem, cum inſequente inflammatione (143), proportionatam. Facile lethaliter terminatur, imprimis poſt aliquam durationem; aut ſi hepatis obſtructione (175), alioque morbo inſanabili fuerit ſtipatus: et medicamenta potiſſimum diuretica (15) poſtulat.

* Nonnulli autores hic in ſpecie disruptionem vaſis cujusdam lymphatici valvuloſi accuſant: quæ quidem cauſa non penitus impoſſibilis, ſed, cum tot aliæ ſuperſint, neceſſario e rariſſimis eſt, ſimulque inſanabilis.

** De Paracenteſi, ultimo in Aſcite medio, et quæ præterea de hoc morbo forent adducenda, conſulantur autores chirurgici.

§. 241.

Tympanites, Aſcitis (240) ſpecies, in qua, ſecundum autores, loco ſeri, aër extravaſatus, cum pauco interdum ſero ſimul præſente, abdomen tumefacit: ſummam infimi ventris monſtrat tenſionem; nulla tamen aquæ fluctuatio percipitur; ſed potius, perhibente

te Joh. JUNCKERO *libr. cit.* Tab. LXV. lenis murmuratio, ſonitus atque rugitus, undè et abdomen percuſſum reſonat. Reliqua, ut in Aſcite.

De hoc quoque morbo ulterius evolvendi ſunt libri chirurgici. Vid. etiam. Raymund. DE LA RIVIERE. Quæſtio. Med. *An a ſpirituum animalium inordinatione Tympanites?* Reſp. Olivario *Bougourd.* Aff. *Paris.* 1734.

§. 242.

HEPATITIS inflammationem (143) hepatis denotat, cum febre inflammatoria (153) conjunctam. Dolorem (138 gravativum in dextro infert hypochondrio; icterum (174) plus minus manifeſtum, per intervalla accedentem; tuſſim quoque exiguam et ſiccam, (213), imo et reſpirationem difficilem propter diaphragmati vicino communicatam irritationem, nec non anguſtias præcordiorum: ſingultum, nauſeamque, et vomitum (229.234. 235), eo vehementiores, quo propinquior locus inflammatus eſt ventriculo. Reliqua omnia, uti in inflammationibus internis in genere.

Vid. Herm. CONRING. Diſſ. *de Inflammatione Hepatis.* Reſp. VVerner. *Berckelmann.* Helmſt. 1656. Joh. Caſp. KÜCHLER. Diſſ. *de Hepatitide.* Reſp. Ambroſ. *Fuchs.* Lipſ. 1725.

§. 243.

§. 243.

SPLENITIS, quæ eſt lienis inflammatio, cum febre continua proportionata (143. 153); dolorem (138) infert in ſiniſtro hypochondrio, plus minus manifeſtum, quoties regio iſta abdominis manibus externe tangitur. Cetera, ut in inflammationibus internis omnibus.

E reliquis lienis affectibus, agit Frid. HOFFMANN. Diſſ. *de Morbis Lienis*. Reſp. Mich. *Pfitzner*. Hal. 1704. Chriſtian. Mich. ADOLPHI. Diſſ. *de Porcello Caſsovienſi*. Reſp. Gottlieb. *Eichholtz*. Lipſ. 1728. Abr. VATER. Diſſ. *de lienis Prolapſione*. Reſp. Joh. David. *Kreyſig*. Witt. 1746.

§. 244.

INTESTINORUM INFLAMMATIO (143), cum febre continua graviori (153), dolorem (138) in inteſtinis proportionatum, et, poſt tactam abdominis regionem morboſam, ſeſe detegentem; præterea diarrhoeas (246) copioſas, et aliquando dyſenteriam (251) parit: aliquando colicæ (253) præcedenti graviori originem debet: fortior, communicata abdominis muſculis irritatione, reſpirationis anguſtiam proportionatam gignere poteſt. Reliqua omnia cum internis inflammationibus in genere habet communia.

Vid. Rudolph. Wilh. KRAUS. Diſſ. *de Inteſtinis, eorumque morbis.* Reſp. Georg. Ern. *Stahl.* Jen. 1674.

§. 245.

VERMES INTESTINORVM ſunt inſecta viva, alvum occupantia. Diſtinguuntur in *Lumbricos inteſtinales*, lumbricis terreſtribus et forma et colore et magnitudine ſimillimos, teretes, qui ceteris multo frequentius obveniunt, in majori aut minori copia præſentes: *Lumbricum latum*, qui non niſi unicus occurrit, latus eſt, planus; in quamplurimos articulos ſive diviſiones, pollicem latum vix longas, quas pro totidem vermibus ſeparatis aſſumunt autores, diſtinctus, et multarum quandoque ulnarum longitudinem æquat: ac denique *Aſcarides*, qui, minimi et tenuiſſimi, extremitatem inteſtini recti, ſive anum, inhabitant. Ortum ſuum trahunt primi ab ovulis verminoſis, mediante potu aut cibo ad primas vias delatis, ibidemque excluſis: modo conſueto ulterius deinde propagandi.

Dolorem in parte, quam inhabitant, inferunt, pro varia eorundem copia majorem vel minorem: nauſeam, aliquando et cardialgiam (227), pariunt, ac ſalivæ in ore proventum copioſiorem, potiſſimum tempore jejuno: quandoque atrophiam (293) poſt ſe tra-

trahunt: in ventriculum e duodeno irrepentes, id quod interdum accidit, vomitu utplurimum rejiciuntur; aut ſenſim, cum magna ægroti moleſtia, oeſophagum aſcendunt, atque ſic redduntur ore: una cum excrementis ſubinde rejiciuntur; mortui ac putrefacti *ſaburram* formant *verminoſam* (237): nonnunquam quoque *lumbrici inteſtinales* inteſtina erodunt, ſicque mortem inferunt, uti obſervationes autorum perhibent; aut per aperturam extrorſum in abdomine forte patentem, prorepunt. *Aſcarides* in ſpecie titillationem et irritationem maxime moleſtam in ano, itemque tenesmum (260) generant, aliud vero malum non producunt. Singula vermium genera aliquando exſtirpatu ſunt difficillima, præ ceteris tamen *lumbricis latus*. Medicamenta ipſis contraria ſunt anthelmintica (15): *Aſcarides* præterea ſpleniis, ſacharo melleque imbutis, et ano appoſitis, proliciuntur.

* Nonnulli lumbricos inteſtinales in infantibus *augurantur* quando hi nares frequentius digitis ſcalpunt: quod tamen fundamento caret.

** *Lumbricus latus* in quibusdam regionibus, ſeptentrioni proximis, malum conſtituit endemium; non homines modo, ſed et canes, oves, aliaque bruta infeſtans, his ultimis quandoque in aliquali longitudine ex ano propendens: ſine dubio propter commu-

nem aquarum uſum, cui ovula forte innatant.

*** Vermes, variæ indolis, præter inteſtina, in *aliis* etiam corporis *partibus* quandoque obvenire, autorum obſervationes teſtantur, idque ſine dubio contingit propter ovula illuc delata. *Alia* quoque vermium *genera*, quam ſupra deſcripta, in primis viis aliquando latent, originem cum reliquis eandem admittentia. Utraque, ſi de eorum præſentia conſtet, haud alia, quam prædicta medicamenta poſtulant: præterea autem prioribus, chirurgica ope exitus eſt parandus.

**** In magnis morbis quandoque vermes inteſtinorum vomitu rejiciuntur, quos tunc vulgus *vermem cardiacum* (*den Herzwurm*) appellat, et mali ominis eſſe vult: cujus tamen opinionis falſitas per ſe ſatis patet.

***** *Vermes*, ut et *ſaburra* (237), *calculus* (264) quoque, per ſe morbos non conſtituunt, ſed aliis morbis, in ſpecie dolori (138), anſam præbent: unde et antiquiores eadem ad cauſas toto genere præternaturales referebant (27, ***).

****** Vid. Joh. Theodor. SCHENCK. Diſſ. *de Vermibus inteſtinorum.* Reſp. Imman. Wilh. *Ayrer.* Jen. 1670. Paul. Gothofr. SPERLING. Diſſ. *de Vermibus in primis viis.* Reſp. Joh. Chriſtian. *Both.* Witt. 1700. VVilh. Huld. VVALDSCHMID. Diſſ. *exhibens Pathologiæ animatæ ſpecimen.* Reſp. Tob. Thom. Mich. Joel. Dieter. *Hannemann.* Kil. 1697. Eliæ. CAMERARII *Helminthologia intricata.* Reſp. Jacob.

Jacob. Bernh. *Hummel.* Tüb. 1724. Chrift. Gottfr. STENZEL. Diff. *de Infectorum in corpore humano genitorum varia forma et indole.* Refp. Georg. *Vaghi.* VVitt. 1741. Joh. El. MÜLLER. Diff. *exhibens cafum monftrofi affectus verminofi.* Erford. 1702. Frid. HOFFMANN. Diff. *fiftens curiofam pulli gallinacei in foemina cachectica formati hiftoriam.* Refp. Joh. Jac. *Stang.* Hal. 1702. F. E. B. Obfervatio *de excretione vermis nunquam antea excreti.* VVolff. 1723. Aug. Quir. RIVIN. Diff. *de morbis animatis.* vid. Ej. *Difs. Med.* Diff. XXXVII. Chrift. VATER. *Hiftoria et Cura Bubonis Inguinalis cum perforatione Inteftini et eruptione lumbricorum.* Refp. Guftav. Profper. *Juch.* Witt. 1693.

§. 246.

DIARRHOEA, id eft, alvi jufto frequentior dejectio; ejusque gradus fummus, *colliquativa* cognominata, quod hæc proftrationem virium fpecialem fecum habet conjunctam: componitur ex inflammatione inteftinorum, utplurimum leniori (244), liquoris inteftinalis copia uberiori (108), et canalis inteftinorum irritabilitate ac elafticitate aucta (63. 72). Caufæ ordinariæ funt, feri nimia quantitas generalis (106); potulentorum frigidorum ingurgitatio; et abdominis quacunque alia ratione facta perfrigeratio; cerevifia affumta fæculenta; fructuum horæorum, imprimis prunorum, abufus; fudores

 cohi-

cohibiti, purgantia aſſumta fortiora: aliquando ſaburra inteſtinalis (237), morbus hypochondriacus (256), aliique ſpasmodici.

Motus tenſivos ſpaſticos in abdomine, atque borborygmos ordinarie, aut flatulentiam (236), aut tormina, habet præcedentia: dolorem in inteſtinis majorem vel minorem producit, aliquando tenesmum (260): præterea humorum quantitatem in genere, itemque tranſpirationem et urinam, minuit (89. 116. 122); vires exhaurit, et febrem proportionatam (153) generat: abortui (279) quoque nimia diarrhoea anſam præbet in gravidis. Liquor prodiens, poſt excrementorum rejectionem unam vel alteram, ipſa eſt ſaliva inteſtinorum, nunc tenuior, nunc craſſior, pro diverſo inflammationis, in punctis inteſtinorum ſpecialibus, ſitu. Quasvis inflammationis poſt ſe trahere poteſt conſequentias. Aliquando chronica fit, tuncque difficulter ſuperabilis exiſtit. Medicamenta anodina et adſtringentia (11. 12) poſtulat, cum regimine diaphoretico.

Vid. Georg. VVolfg. VVEDEL. Diſſ. *de Diarrhoea.* Reſp. Aug. Mich. *Dörmer.* Jen. 1673. Frid. HOFFMANN. Diſſ. *de Diarrhoea in febribus malignis aliiſque acutis morbis ſalutari.* Reſp. VVolffg. Frid. *Hienlin.* Hal. 1700. Joh. JUNCKER. Diſſ. *de Diarrhoeis abſtergentibus, tam ſimplicibus, quam cruentis.* Reſp. Joh. Aug. *Gri-*

Grischov. Hal, 1748. Joh. Joseph. SENGER. Diss. *de Diarrhoea Hypochondriaca.* Erf. 1752.

§. 247.

CHOLERA, morbus e vomitu atque diarrhoea (235. 246) compositus: inflammationem supponit, quae et ventriculum et intestina obsidet, ac, cum productione liquoris gastrici nec non intestinalis uberiori (108), ad motum auctum stimulat: non adeo censetur periculosa, quam vomitus cum alvina obstructione (252) conjunctus. Reliqua, uti in vomitu et diarrhoea, simul sumtis.

Vid. Maximil. Honor. ZOLLICOFFER. Diss. *de Cholera.* Argent 1663. Joh. Henr. Joseph. BAUER. Diss. *de Cholera.* Altorf, 1717. Christian. VATER. Diss. *de Cholerica Passione.* Resp. Christ. Theodor. *Stentzel.* VVitt. 1720. Abrah. VATER. Diss. *de Cholera humida.* Resp. Joh. Gothofr. *Nicolai.* VVitt. 1733. Mayer. HIRSCH. Diss. *de Cholera humida.* Giess. 1751.

§. 248.

LIENTERIA, species diarrhoeae (246), in qua cibi inconcocti, et reliqua, ventriculo ingesta, sine ulla mutatione, promtissimeque interdum, dejiciuntur: oritur a ventriculi nec non intestinorum irritabilitate maxima; aliquando etiam febres inflammatorias (153), sedem prope primas vias haben-

tes, itemque atrophiam(293), concomitatur: dolorem non ſemper habet ſecum; corpori tamen neceſſarium præripit alimentum, propter deficientem ingeſtorum in ventriculo et inteſtinis moram, qua ad digeſtionem abſolvendam indigent. Reliqua, uti in diarrhoea.

Vid. Joh. Arnold. FRIDERICI. Diſſ. *de Lienteria.* Reſp. Georg. Tobia. *Wallich.* Jen. 1670. Aug. Quir. RIVIN. Diſſ. *de Lienteria.* vid. Ej. *Diſs. Med..* Diſſ. XXV. Joh. Caſp. HEUMANN. Diſſ. *de Lienteria.* Altorff. 1732.

§. 249.

FLUXUS COELIACUS, alia diarrhoeæ (246) ſpecies, in qua excrementis, plus minus fluidis, admixtus chylus, in forma ſtriarum lactearum, adhæret, cum febre ordinarie non adeo notabili: præter diarrhoeam, ſupponit, vel motum inteſtinorum velociorem, qui chymo neceſſariam, ad rite ſeperandum chylum, moram non permittit; vel occluſionem lacteorum vaſorum a ſpasmo (139) aliaque cauſa obſtruente vel claudente, unde chylo introitus præcluditur (58. 59. 62). Atoniam (137) corporis totius, propter nutrimenti defectum, poſt ſe trahit; et cauſarum poſtulat remotionem.

Vid. Joh. Gothofr. BERGER. Diſſ. *de Fluxione ventris chyloſa.* Reſp. Henr. Auguſt. *Jacobi.* VVitt. 1699.

§. 250.

§. 250.

FLUXUS HEPATICUS, diarrhoeæ (246) ſpecies rarior, dicitur, quando, cum aliquibus ſpaſticis doloribus, humor loturæ carnium ſimilis dejicitur, febre vel leviſſima, vel, uti autores volunt, nulla præſente. Cauſa, præter reliquas diarrhoeæ cauſas, ſine dubio eſt dilatatio arteriarum lymphaticarum et ſecernentium (78. 79) tanta, ut ſanguinis copia aliqua ſimul transeat. Periculum ſpeciale ipſi non tribuitur. Medela vero eſt, ut in diarrhoea.

§. 251.

DYSENTERIA diarrhoeam denotat mucido-cruentam, contagioſam, maxime dolorificam, cum febre inflammatoria (153), ordinarie menſe Julio, Auguſto et verſus æſtatis finem, quando fructus horæi matureſcunt, contingens. Diſtinguitur in *conſuetam* ſive *rubram*, in qua dejiciuntur cruenta: et *albam*, in qua dejectiones ſunt mucidæ, ſpumoſæ, non vero cruentæ. Componitur e diarrhoea (246), contagioſa ſanguinis reſolutione (99), arteriarum ſecundi et tertii generis dilatatione juſto majori (78.79), et, quam infert, febre dyſenterica (159).

Cauſæ, morbum producentes, ſunt: imprimis contagium, per ſedes alvinas, in loco quodam huic excretioni deſtinato, aſt jam jam infecto,

 incu-

incaute emiſſas, contractum: tum et fructus horæi immaturi, copioſe ingeſti, præſertim pruna, cum largiori potu: atque aër autumnalis, aut frigidiusculus, qualis in æſtate horis nocturnis eſſe ſolet.

Tormina infert maxima, et tenesmum (260): praeterea anxietates præcordiorum, virium dejectum, et reliqua febris inflammatoriæ (153. 244) effectus. Urina ordinarie pauca eſt, et ſubinde penitus ſuppreſſa. Generatim morbus peſſimæ eſt indolis, facile in gangrænam abiens: alba tamen dyſenteria periculoſior adhuc cenſetur, quam rubra. Remedia, primo mucilaginoſa et anodina (11) poſtulat, deinde adſtringentia (12), juncto regimine diaphoretico.

* *Hypecacuanna*, a multis ceu ſpecificum remedium laudata, vid. e. g. Ludov. Renat. DESBOIS Quæſt. Med. *An Dyſenteriæ Ipecacuanha?* Reſp. Dionyſ. *Pautier de la Breulhe.* Aff. Paris 1745. caute eſt in uſum ducenda, cum contra diarrhoeam proprie nihil habeat virium.

** Vid. Anton. VARI. Diſſ. *de Dyſenteria.* Reſp. Henr. *Planco.* Jen. 1635. Georg. Chriſtoph. ZINCK. Diſſ. *de Dyſenteria.* Argent. 1671. Paul. Gottfr. SPERLING. Diſſ. *de Dyſenteria.* Reſp. Balthaſ. *Sibero.* VVitt. 1698. Georg. Ern. STAHL. Diſſ. *de Dyſenteria.* Reſp. Jac. Henr. *Heilerſieg.* Hal. 1706. Abraham. BAECK. Diſſ. *de Medicamentis domeſticis, eorum-*

rumque usu in dysenteria. Resp. Joh. *Bergio.* Upsal. 1741. Georg. Gottlob. RICHTER. Diss. *de Fluxu ventris dysenterico.* Resp. Henr. Gothofr. *Liechte.* Gotting. 1742. Herm. Paul. JUCH. Diss. *de Vera Dysenteriæ indole et curatione.* Resp. Christian. Sigism. *Tippoldt.* Erford. 1744. Carol. Frid. KALTSCHMID. Diss. *de Dysenteria.* Resp. Joh. Frid. Arnold. *Vordanck.* Jen. 1748. Andr. El. BÜCHNER. Diss. *de Origine Dysenteriæ, cautoque in hac Passi Hungarici usu.* Resp. Joh. Adam. *Raymann.*. Hal. 1750.

§. 252.

OBSTRUCTIO ALVINA, sive *alvi segnities*, adest, quando alvus toties, quoties ad sanitatem conservandam est necesse, non exoneratur : sed quovis biduo aut triduo tantum, aut tardius adhuc, officio respondet. Componitur ex intestinorum irritabilitate justo minori (73), et salivæ intestinalis defectu (109). Causam constituunt, vita sedentaria, consuetudo alvum tardius exonerandi, neglectus ad excernendum stimulus, potus sufficiens neglectus, sudores nimii, aliæque evacuationes serosæ immoderatæ.

Anxietatibus præcordiorum ansam præbet, capitis doloribus (177), saburræ primarum viarum, (237), colicæ (253), morbo hypochondriaco (256), aliisque spasmodicis

dicis affectibus. Præter hæc inteſtina a ſcybalis induratis diſtenduntur, ac vaſa eorum comprimuntur: unde irritatio, et quævis illius conſequentiæ veniunt. Morbus ordinarie eſt pertinax: laxantibus ſanandus, motu corporis ac potu ſufficienti; nec non obſervanda certa quadam hora quotidie eſt, in qua alvus evacuationi aſſuefiat.

Vid. Nicol. ROSEN. Diſſ. *de communi ad ſeptentrionem per æſtatem degentium malo, Alvo adſtricta.* Reſp. Olav. *Kalmeter.* Upſal. 1737. Thom. Bernard. BERTRAND. Quæſt. Med. *An alvis aſtrictioribus Medicina in alimento et blanda catharſi?* Reſp. Bernard. Nicol. *Bertrand.* Aff. *Paris.* 1747.

§. 253.

COLICA, quæ eſt dolor ſpasmodicus, in inteſtinis contingens: diſtinguitur, pro diverſitate cauſarum, aut potius morborum conjunctorum, in *Colicam flatulentam*, quæ flatulentiam (236) pro baſi habet; *nephriticam*, quæ cum calculi renalis (264) doloribus eſt conjuncta; *hæmorrhoidalem*, ubi hæmorrhoides ſuppreſſæ (258) ſimul adſunt; *ſanguineam*, a plethora (96) ortam; *convulſivam*, quam convulſiones (140) comitantur; et *bilioſam*, ubi ſimul vel vomitus bilioſi (235) infeſtant, vel inflammatio ſanguinea (143) fortior eſt. Componitur ergo e dolo-

dolore (138), et ſpasmo (139) inteſtinorum, imprimis craſſorum; nec non uno e prædictis morbis, flatulentia, calculo renum, hæmorrhodibus ſuppreſſis, plethora, convulſionibus, vomitu, inflammatione graviori. Cauſæ, præter illas, quæ morbos componentes producere poſſunt, ordinarie ſolent eſſe, refrigeratio abdominis, a frigore externo incautius admiſſo, aut a potulentorum frigidorum abuſu: cibi nimis pingues, aut flatulenti, accedente potu frigido: malum hyſtericum (256): arthritis repulſa (288).

Tormina, plus minus vehementia, inducit; dolorem vel fixum in aliqua parte, circa umbilicum, aut in hypochondriis; vel in abdomine erraticum; anguſtiam præcordiorum; reſpirationem interceptam; borborygmos, et utplurimum alvum clauſam, quæ ne ſpiritum quidem transmittit: aliquando vero diarrhoeam potius, idque maxime in colica *bilioſa*: interdum nauſeam, vel vomendi conatus, vel vomitum (234. 235): inſimulque corporis externi mutuam ac vagam incaleſcentiam, cum ſudoribus frigidis. *Sanguinea* in ſpecie id habet, ut, poſt adhibita laxantia, morbus utplurimum exaſperetur.

Habituale malum fieri poteſt: inflammationem inteſtinorum (244) inducere: et in paſſionem iliacam (255) mutari. Vehementior aliquando inteſtinorum paralyſin (195)

(195), quæ *Paresis* dicitur, infert. Speciatim *sanguinea*, *nephritica*, et *biliosa*, aut suppurationem aut gangrænam (146. 147), præ aliis facilius, propter majorem inflammationis junctæ gradum, post se trahunt.

Causarum imprimis remotionem postulat: tum et carminativa remedia (15) admittit, et anodina (11).

Vid. Simon. PAULI. Diss. *de Colica passione.* Resp. Joh. Daniel. *Horst.* Rostoch 1635. Christoph. HELLWIG. Diss. *de Colica.* Resp. Joh. *Neucranz.* Gryph. 1671. Georg. DETHARDING. Diss. *de Colica sanguineo-spasmodica, et Venæsectione in illa pro specifico habenda.* Resp. Joh. Ernest. *Kindler.* Rost. 1729. Herm. Frid. TEICHMEYER. Diss. *de Doloribus colicis.* Resp. Herm. Gerhard. *Lanio* Jen. 1740. Henr. Georg. MATTHISSEN. Diss. *de Vinis Lithargyrio infectis. et Colica Paretico-Convulsiva ex haustu eorundem oriunda.* Gryph. 1745. Franc. BIDAULT. Quæst. Med. *An Colico dolori Narcotica?* Resp. Anton. *Petit.* Aff. *Paris.* 1745. Frid. Christian. JUNCKER. Diss. *de morbis Colicam consequentibus.* Hal. 1749. Nec non Christian. Mich. ADOLPHI. Diss. *de Colo intestino, multorum morborum nido.* Lips. 1728.

§. 254.

Tormina infantum, præprimis lactentium, Colicæ (253) species: quæ vel saburram (237) a lacte nutricis, post hujus animi commotionem fortiorem, aut ex quacunque alia

alia causa, corrupto et in ventriculo infantili itemque in intestinis acescente, habet pro basi; vel flatulentiam (236): quamque vel diarrhoea (246) concomitatur, et excrementorum subinde color viridis, vel alvi obstructio (252): praeter dolores, quos infert, ex ejulatu inconsueto tenelluli dignoscendos; vel spasmodicos insultus varios, vel convulsiones (140), vel epilepsiam (141), inducit: et remedia absorbentia (14), anodina (11), aut, pro circumstantiarum ratione, quae alvum laxant, suadet.

Vid. Christian. SCHEFFEL. Diss. *de Torminibus infantum, praecipue lactentium*. Resp. Carol. Frid. *Zandt*. Gryph. 1748.

§. 255.

ILIACUS MORBUS dicitur, quando motus intestinorum adeo est inversus, ut faeces per vomitum rejiciantur: est itaque vomitus (235) species, et appellatur etiam *miserere*. Componitur ex intestinorum irritabilitate maxima (72), et haud raro inflammatione (143), spasmodica intestini recti constrictione (58. 139), ac vomitu.

Pro causa habet, praeter reliquas spasmi et inflammationis causas, imprimis herniam incarceratam; convolutionem intestinorum, sive intra se ipsa immissionem; alvi constrictionem maximam et pertinacissimam;

mam; colicam (253) vehementiorem: inteſtina corporibus duris, copioſe deglutitis, e. g. nucleis ceraſorum, obſtipata: nonnunquam canalis inteſtinorum, in quocunque loco, factam anguſtiam nimiam (58).

Dolores infert vehementiores, lancinantes, in regione umbilicali: anxietates præcordiorum, et cardialgias maximas, vomituum præcurſores; ructus frequentes, et conatus vomendi; tandemque vomitiones materiæ fæcalis. Præterea inflammationem, niſi eadem jam adſit, generat, ejusque conſequentias. Sæpiſſime eſt lethalis, inflammatione hac ad gangrænam properante: quando autem inteſtini recti ſpasmus ceſſat, tunc ſanitatis ſpes affulget. Medicamenta rerequirit anodina, et relaxantia reliqua (11): externe tamen fumus tabaci, aliaque purgantia fortiora, ano cum enematibus immisſa, admittit.

* *Carminativa* (15), paſſim laudata, inutilia ſunt, quin imo noxia, durante älvi adſtrictione. *Mercurii* etiam *vivi*, item globuli antimonialis deglutitio, quam in ſuſpicione incarcerationis autores præcipiunt, valde eſt dubia.

** Vid. Joh. Arnold. FRIDERICI. Diſſ. *de graviſſimo inteſtini tenuioris affectu, Ileo.* Reſp. Chriſtoph. Erneſt. *Stempel.* Jen. 1666. Georg. VVolfg. VVEDEL. Diſſ. *de Ileo.* Reſp. Joh. Reinhard. *Stiefel.* Jen. 1689. Joh. Henr. SCHULZ. Diſſ.

Diff. *de Paffionis Iliacæ caufis et curatione*. Refp. Joh. Carl. VVilh. *Moehfen*. Hal. 1742. Chriftian. Steph. SCHEFFEL. Diff. *de Paffione Iliaca*. Refp. Herm. Chriftoph. *Nürenberg*. Gryph. 1748. Nec non, Ferdin. Adam. SCHODER. Diff. *de Inteftinorum mutuo ingreffu*. Altorf. 1729. Aug. Frid. VVALTHER. Diff. *de Inteftinorum anguftia, ex obfirmato eorum habitus vitio*. Refp. Henr. Gottlob. *Krifch*. Lipf. 1731.

§. 256.

MALUM HYPOCHONDRIACUM, quod idem in foeminis *morbus hyftericus* audit, eft morbus, compofitus e fpasmo (139) totum corpus permeante, et varios in diverfis partibus morbos producente fpeciales, imprimis tamen in abdomine fefe manifeftantes; atque flatulentia (236), nec non obftructione alvina habituali (252), atonia primarum viarum (137), et fenfibilitate reliqui corporis fibrarum nimia (72): ac virili tantummodo ætati fupervenit. Caufam dant: faburra inteftinorum (237); itemque quælibet, quæ robur primarum viarum peffundant, imprimis diæta fedentaria ac fimul jufto ficcior; et ftudia immoderata; unde etiam morbus hypochondriacus eruditos præ ceteris vexat.

Borborygmos, ructusque frequentes inducit: colicos infultus (253), inflationem

hypochondriorum: anxietates præcordiorum et reſpirationem difficilem: appetitum inordinatum, ſubinde nimium (231): palpitationes cordis (224): interdum ſputi largiorem in ore proventum, in aliis tempore jejuno contingentem, in aliis poſt prandium; aut ſalivæ ſaporem dulciorem (118. 119); aut ructus acidos, vomitusque ejusdem generis: nonnunquam dolores capitis (177): urinam in paroxysmo limpidam. Morbus eſt pertinax atque chronicus: atoniam toti corpori inducit, et chylificationem irregularem: vertigini (180), lipothymiæ (181), aſthmati convulſivo (216), vomitibus (235), diarrhoeis (246), colicæ (253) dat occaſionem: nonnunquam melancholiam (190), quæ in hoc caſu *hypochondriacæ* cognomen habet, infert. Juniores ſæpius citiusque ab eodem liberantur, quam ſeniores. Medicamenta requirit, pro inſultuum diverſo gradu et tempore, ſpasmum debellantia, laxantia, roborantia (11): præprimis motum corporis et potum ſufficientem.

Vid. Zach. BRENDEL. Diſſ. *de Affectu Hypochondriaco*. Reſp. Mich. *Schwanshofer*. Jen. 1637. Joh. Theodor. SCHENCK. Diſſ. *de Paſſione Hypochondriaca*. Reſp. Sam. *Ochlitio*. Jen. 1666. Georg. Chriſtoph. Petr. AB HARTENFELS. Diſſ. *de dolore Hypochondriaco*. Reſp. Mich. Gottreich. *Schuſter*. Erford. 1691. Joh. CRÜGER. *Caſus Medicus de morbo Literatorum ſive*

five Affectione Hypochondriaca. Zittau 1703. Mich. ALBERTI. Diss. *de Medicina Hypochondriacorum.* Resp. Ehrenric. Wilh. *Kaatzki.* Hal. 1716. Georg. Gotlob. RICHTER. Diss. *de Morbo Hypochondriaco.* Resp. Lehmann. Isaac. *Kohen.* Gött. 1739. Ern. Gotthold. STRUVII. Diss. *sistens Ideam mali Hypochondriaci, ejusque præservationem.* Resp. Casp. Henr. *Schröder.* Kil. 1741. Andr. El. BÜCHNER. Diss. *de varia Therapiæ necessitate, tam in Hypochondriaco, quam in Hysterico malo.* Resp. Joh. Christian. *Stockmann.* Hal. 1747. *Ej.* Diss. *de singulari sensibilitate Hypochondriacorum, ejusque caussis.* Resp. Mich. *Girald.* Hal. 1749. *Ej.* Diss. *de Diæta et Regimine Hypochondriacorum.* Resp. Georg. *Zacharide.* Hal. 1750. Guern. ROLFINCK. Diss. *de Melancholia Hypochondriaca.* Resp. Joh. Theodor. *Schenck.* Jen. 1644.

Henr. MEIBOM. Diss. *de Suffocatione Hysterica.* Resp. Conr. Barthold. *Behrens.* Helmst. 1684. Joh. Hadrian. SLEVOGT. Diss. *de Puerpera suffocationis hypochondriaco-hystericæ periculo exposita.* Resp. Ludov. August. *Hahn.* Jen. 1701. Georg. Ern. STAHL. Diss. *de Hypochondriaco-Hysterico malo. Resp.* Mich. *Alberti.* Hal. 1703. Lud. Claud. BOURDELIN. Quæst. Med. *An Opium hystericis?* Resp. Franc. *Mery.* Aff. *Paris.* 1725. Jac. Anton. MILLET. Quæst. Med. *An Kina-Kina hystericis?* Resp. Joach. Joh. *Costar.* Aff. *Paris.* 1726. Christ. Mart. BURCHARD. Diss. *de Affectione hysterica. Resp.* Georg. Sebast. *Neuhauss.* Rost. Adolph. WEDEL. Diss. *de Passione hysterica.* Resp. Wolffg. *Haag.* Jen. 1733.

§. 257.

HÆMORRHOIDES NIMIÆ denotant hæmorrhagiæ (170) speciem, in qua sanguis ex aperta in cavitatem intestini recti vena, profluit; vel solus, in copia utplurimum majori; vel cum excrementis permixtus, atque tunc ordinarie parcior. In utroque casu, aut sine omni molestia sanguis editur: vel spasmodici motus (139) quidam præcedunt. Reliqua omnia, quæ in hæmorrhagiis generatim, hic etiam valent.

F vel nimius, vel saepe nimis

Vid. Frid. HOFFMANN. Diss. *de salubritate Fluxus Hæmorrhoidalis.* Resp. Georg. Andr. *Agricola.* Hal. 1697. Georg. Ern. STAHL. Diss. *de Vena Portæ, Porta malorum.* Resp. Joa. Petr. *Gaetke*, Hal. Ej. Diss. *de Hæmorrhoidum internarum motu, et Ilæo Hematite Hipp.* Resp. Joh. Dan. *Gohl.* Hal. 1698. Joh. Gothofr. BERGER. Diss. *de Hæmorrhoidibus ultra modum profusis et coecis.* Resp. Christian. Gottlob. *Riz.* Witt. 1700. Christ. VATER. Diss. *de Hæmorrhoidum fluxu salutari et morboso.* Resp. Joh. Henr. *Berger.* Witt. 1717. Mich. ALBERTI. Diss. *de Hæmorrhoidum salubri et insalubri promotione.* Resp. Joh. Christian. *Woyt.* Hal. 1726. *Ej.* Diss. *de Hæmorrhoidibus hæreditariis.* Resp. Frid Gabriel. *Meyenberg.* Hal. 1727. Frid. HOFFMANN. Diss. *de Immoderata Hæmorrhoidum fluxione.* Resp. Mich. Frid. *Geussenhainer.* Hal. 1730. Jvo. Joh. STAHL. Diss. *de dubia atque suspecta hæmorrhoidum laude.* Resp. Mich. Ernest. *Deville*, Erford. 1733.

§. 258.

HÆMORRHOIDES SUPPRESSÆ, fluxus ſanguinis deficientis (171) ſpecies, nominantur, quando hæmorrhoides non fluunt iis perſonis, quæ easdem regulariter, et periodice recurrentes, alias ſunt expertæ: colicæ hæmorrhoidali (253) occaſionem præbent, et variis motibus ſpasmodicis, præſertim in primis viis ſe exſerentibus. Reliqua, ut in hæmorrhagiis deficientibus.

Aloen ordinarie laudant autores, quæ tamen circumſpecte eſt in uſum ducenda.

§. 259.

HÆMORRHOIDES EXTERNÆ ſive *coeca*, nominantur tumores venarum hæmorrhoidalium varicoſi, ſanguinem non fundentes. Varias admittunt differentias, ſecundum diverſam magnitudinem, ſitum, figuram, et morbos alios junctos. Aliæ enim piſi vel fabæ magnitudinem non excedunt; aliæ multum ſunt majores: et variam formam monſtrant. Quædam extra anum propendent; aut ſaltem in ejus vicinia; aliæ magis interne et ſuperius ſunt ſitæ. Nonnullæ, indolentes, veſiculam mollem referunt, atro ſanguine repletam: aliæ multo et vehementi dolore ſunt ſtipatæ. Aliquando mu-

mucosum humorem fundunt; tunc nonnullis speciatim dictæ *Hæmorrhoides mucosæ*: interdum ulcusculis pruriginosis simul, vel ipsæ, vel loca vicina, sunt obsessa, aut in eadem degenerant tandem; in quo casu malum quibusdam nominatur *Serpigo hæmorrhoidalis*.

Componuntur e Venarum hæmorrhoidalium, sive internarum sive externarum, ad easque spectantium ramorum, dilatatione partiali (82): plethora speciali (96), et utplurimum dolore atque inflammatione (138. 143).

Causa est: sanguinis recursus in hisce partibus impeditus: atonia venarum hæmorrhodalium: sanguinis abundantia generalis, et elasticitas major (96. 100): abusus spirituosorum, aliorumque calefacientium: equitatio nimia, ac exinde veniens irritatio partium intestino proximarum: spasmus (139) abdominis viscerum. Tenesmum (260) inducunt: aliquando, sed rarius, apertæ, aut ruptæ, sanguinem emittunt: inflammatæ, dolorem pariunt maximum, qui aliquando ægroto nec incessum nec sessionem permittit: hæ ipsæ nonnunquam in ulcera mutantur aperta; aut reliquas inflammationis consequentias inducunt: nec non fistulæ ani dant occasionem. Causæ potissimum remotionem postulant: discutientia, externe admovenda

(59.

(59. schol.), et inflammationis aut suppurationis medelam consuetam.

* *Specifica* tantopere laudata, millefolium nempe, mures marini, folia sambuci recentia, chelidonium minus &c. revera nihil præstant.

** Doctrinam de *hæmorrhoidibus* ample tractant Stahliani. Interim experientia utilitatem tantam, quantam hi ipsi ex eorundem fluxu corpori promittunt, non confirmat: cum, præter effectum depletionis, nihil speciale præstent hæmorrhoides. Multi quoque medici, in morbis clinicis variis, ad conamina hæmorrhoidalia provocant: de quibus tamen idem valet, quod in antecedentibus de scorbuto dictum est (169,*).

*** Vid. Gothofr. MOEBII. Diss. *de Hæmorrhoidibus coecis et apertis*, Resp. Theodor. *Rollio* Jen. 1662.

§. 260.

TENESMUS dicitur continuus et simul inanis desidendi conatus, cum excretione muci parcissimi. Componitur ex irritabilitate, aut leniori inflammatione (143), sphincteris ani, ac intestini recti portionis proximæ; et exinde pendente muci, a dilatatis glandularum, in fine intestini recti sitarum, ductibus, secretione copiosa (108).

Causam constituunt, hæmorrhoides

coecæ (259), irritatio ab excrementis acribus: interdum calculus veſicæ, recto incumbens inteſtino: equitatio diuturna; aſcarides (245): acria externe admota, draſtica purgantia aſſumta, ac quæ hinc, aut aliunde veniunt, diarrhoeæ immoderatæ (246): in gravidis, preſſio inteſtini ab incumbente foetu.

Pruritum aut titillationem in orificio ani producit: urentem quandam perceptionem, et ſtimulum ad exprimendum, quicquid intus hæret: dejectionem muci parcioris, raro cum excrementis mixti, aliquando ſubcruenti. Procidentiam ani, per conatum deſidendi continuum ac vehementiorem; nec non inflammationem, niſi jam adſit, et quaslibet inflammationis conſequentias, producere poteſt: aliquando per ſpasmum, veſicæ urinariæ vicinæ communicatum, Iſchuriæ (269) anſam dat. Medicamenta requirit anodina, atque relaxantia reliqua (11), tam externa, quam interna.

Vid. Joh. JUNCKER. Diſſ. *de Tenesmo hæmorrhoidali.* Reſp. Joh. *Lausberg.* Hal. 1744. Sim. Paul. HILSCHER. Diſſ. *de Tenesmo.* Reſp. Joh. Chriſtoph. *Schulli.* Jen. 1748.

§. 261.

NEPHRITIS eſt inflammatio renum ſanguinea, cum febre continua proportionata,

nara (143. 153): dolorem in renis regione producit; et urinam copiosam, propter irritationem, secerni facit: ulceri renum (263) occasionem subministrat. Reliqua, uti in singulis inflammationibus internis.

Vid. Georg. Wolffg. WEDEL. Diss. *ægrum Nephritide laborantem exhibens.* Resp. Joh. Henr. *Schmoller.* Jen. 1680. Herm. Paul. JUCH. Diss. *de Nephritide,* Resp. Werner. Phil. *Köhnen.* Erf. 1752.

§. 262.

VESICÆ URINARIÆ INFLAMMATIO (143) dolorem in regione vesicæ dictæ, continuum mingendi stimulum, mictionem dolorificam, febrem continuam proportionatam (150) producit: aliquando, cum urina, muci copiosi et tenacissimi, instar corii soluti, fundo vasculi, cui urina immittitur, adhærentis; et, vase isto inverso, ad ulnæ longitudinem aliquando ex eodem dependentis, proventum. Reliqua, ut in inflammationibus internis omnibus.

De spasmo vesicæ agit Diss. Mich. Ern. ETTMÜLLER. *Resp.* Joh. Ernest *Kulmus.* Lips. 1732.

§. 263.

RENUM aut VESICÆ URINARIÆ ULCUS, suppurationis inter-

næ (146) ſpecies, in qua pus cum urina emingitur: propter puris effluxum liberum, vel conſolidationem admittit; vel ſaltem diutius, et ad annos aliquot ægrotum ſuperſtitem linquit. Reliqua, ut in ſuppurationibus internis quibuslibet.

* Quæcunque de renibus et veſica inflammatis aut ſuppurantibus dicta ſunt, ea, ſuo modo, etiam valent de *ureteribus* et *urethra*.

§. 264.

CALCULUS RENUM eſt corpus quoddam ſolidum ac durum, in pelvi renis in maſſam lapideam concretum. Varias admittit diſtinctiones, a diverſa magnitudine, forma, conſiſtentia, deſumtas. Alii namque calculi ſunt minores, ſabuli majoris grana mole æmulantes, tuncque copioſi generantur: alii, majores, ad ovi gallinacei magnitudinem interdum creſcunt, horumque ordinarie unicus tantummodo adeſt. Quidam ſubſtantia gaudent poroſa, friabili; et colore obſcuro, brunno, rubeſcente, cineritio: alii denſiores ſunt, pellucidi, flavi, fruſtulo ſuccini citrini aliquando ſimillimi. Nonnulli rotundi ſunt, alii inſtar lentis plani, alii adhuc acutos habent angulos. Partim humorum ſpiſſitudinem (90), a terrei principii in iisdem abundantia, arguit: hujusque

jusque aut in ſecretoriis renum vaſis ſubſiſtentiam, aut in calicibus, in pelvi, moram juſto diuturniorem. Partim tubulorum renalium ſolito major adeſt dilatatio (57): et liquidorum ad renes congeſtio (88); aliquando a diureticorum aut potulentorum ſpirituoſorum abuſu.

Minor calculus, quamdiu quiete in loco ſuo jacet, nullos edit effectus ſenſibiles. Quamprimum autem loco moveri incipit, et deſcenſum ad veſicam urinariam molitur, colicam infert nephriticam (253); et dolorem, aliquando fortiſſimum, qui ſecundum ureteris tractum ad veſicam ſucceſſive ducitur, prouti ſcilicet calculus ipſe ſenſim progreditur ultra: inſimul urina mox clara prodit, inſtar aquæ limpidiſſimæ; mox penitus deeſt; Ad veſicam delatus, vel mox deinde per urethram cum urina prodit; hæc vero immediate ante plenarium exitum calculi e veſica, limoſa aliquando, turbida, ac nigricans fere fit; aliquando ſabulo ſive lapillis minimis eſt permixta: vel ibidem commorans, calculum veſicæ parit.

Major in pelvi ſubſiſtit, ibidem continuo accreſcens: et propter compreſſionem, quam exſerit, dolorem in regione lumbari, obſcurum, gravativum producit, ſecundum Pſoadis muſculi tractum, ad pedem usque

usque excurrentem; pedis ſtuporem quoque; nec non irritationem, et inflammationem, (143) parti, cui incumbit, indeque provenientes conſequentias, poſt ſe trahit.

In renibus frequens calculorum geneſis tubulos renales magis adhuc dilatat: ſicque principii craſſioris tranſitum, adeoque calculorum proventum, auget. Morbus cauſarum requirit remotionem, anodina (11), et diuretica ſive lithontriptica leniora (15); aliquando etiam, clyſterum ope, ano danda emollientia (11).

* Quod calculus renalis *oriatur* ab inflammatione renum, atque hanc ſequente ſuppuratione; et ſpeciatim a cruſtam formante lympha, ex ulcere renali exſudante, contendit Joh. JUNCKER. libr. cit. Tab. XXXVI. ſed fruſtra: præterquam enim, quod probationem aſſerti nullam addat, nec quomodo lympha ex ulcere quodam exſudare et condenſari queat, facile eſt intellectu; teſtante chirurgia, in loco humido, qualis eſt renum portio interior, cruſta nunquam generatur.

** *Calculus veſicæ*, itemque operatio quædam chirurgica, ad calculum renalem ſpectans, in chirurgicis autoribus explicantur.

*** Vid. Joach. STOCKMANN. Diſſ. *de Renum et veſicæ calculo.* Reſp. Petr. *Götze.* Roſt. 1646. Guern. ROLFINCK. Diſſ. *de Genui-*

Genuina calculorum in humano corpore, præcipue renibus et vesica, generatione. Resp. Joh. Christian. *Jehring.* Jen. 1663. Ge. Ern. STAHL. Diss. *tradens novam Pathologiam calculi renum.* Resp. Georg. Gottlieb. *Köhler.* Hal. 1698. Wilh. Huld. WALDSCHMID. Diss. *de Calculo renum* Resp. Christian. Ulric. *Schreiber.* Kil. 1703. Joh. Henr. HEUCHER. Diss. *de Calculo per adstringentia pellendo.* Resp. Christian. Gottfr. *Reiche.* Witt. 1711.

§. 265.

DIABETES appellatur frequens urinæ excretio, potulentorum assumptorum copiam longe superans: estque in hoc morbo urina, adeo copiose proveniens, propter principium aquosum abundans, instar aquæ fontanæ diluta, sine odore ac colore consueto, nec non sine sedimento. Componitur e tenuitate humorum nimia (91), eorum ad renes congestione (88), tubulorumque renalium elasticitate justo majori (63). Caussam constituunt, spasmi (139) partium quarundam vicinarum, hucusque extensi; diureticorum (15) abusus; excretiones reliquæ serosæ, transpiratio imprimis, deficientes (116). Vires corporis labefactat, easque tandem plenarie destruit: atque ideo, quoniam ordinarie malum est pertinax, haud raro morte terminatur: præterea transpirationem, nisi jam adsit justo minor, maxime debi-

debilitat. Medicamenta requirit adſtringentia (12), et quæ tranſpirationem reducunt (15).

Vid. Herm. CONRING. Diſſ. *de Diabete.* Reſp. Aug. Quir. *Rivin.* Helmſt. 1676. Rudolph. Wilh. CRAUSII. Diſſ. *de Diabete.* Reſp. Joh. *Müller.* Jen. 1692. Aug. Quir. RIVIN. Diſſ. *de Diabete.* vid. Ej. *Diſs. Med.* Diſſ. XXXIII. Andr. Jul. BOTTICHER. Diſſ. *de Diabete.* Reſp. Hieron. *Laub.* Helmſt. 1704. Ludov. Frid. JACOBI. Diſſ. *de Diabete.* Reſp. Joh. Frid. *Vatteroth.* Erford. 1709.

§. 266.

MICTUS CRUENTUS, hæmorrhagiæ (170) ſpecies, in qua ſanguis e viis urinariis, vel ſolus, vel cum urina permixtus, vel fluidus, vel coagulatus, prodit: congeſtionem ſanguinis ad renes, veſicam, et reliquas urinæ vias (96); nec non arteriarum renalium ſecundi atque tertii ordinis dilatationem nimiam (57), pro fundamento habet: aliquando dictarum partium inflammationem ſanguineam (143); et diureticorum (15) abuſum ſequitur. Sanguis in veſica coagulatus, et in majora fruſta concretus, dolores parit vehementiſſimos, ac quoslibet calculi veſicæ (264, **) effectus. Reliqua omnia, uti in hæmorhagiis generatim conſideratis.

Vid.

Vid. Paul. AMMANN. Diff. *de Mictione cruenta.* Resp. Jacob. *Wolff.* Lipf. 1673. Georg. Wolfg. WEDEL. Diff. *fiftens ægrum mictu cruento laborantem.* Resp. Joh. Mich. *Bertuch.* Jen. 1683. Wilh. Hulder. WALDSCHMID. Diff. *de Mictione cruenta et fuppreffione Hæmorrhoidum.* Resp. Joh. Thom. *Schwerman.* Kil. 1699. Joh. Erneft. SCHAPER. Diff. *de Mictu cruento.* Resp. Joh Ludov. *Schaper.* Roft. 1715. Joh. KHELLE. Diff. *de Mictu cruento.* Altorf. 1721. Frid. HOFFMANN. Diff. *de Hæmorrhagia viarum urinarium.* Resp. Godofr. *Heinfio.* Hal. 1730. Joh. Adolph. WEDEL. Diff. *de Mictu cruento.* Resp. Jo. Wolfg. *Wedel.* Jen. 1735.

§. 267.

STRANGURIA denotat difficultatem mingendi eam, in qua urina guttatim provenit, cum perceptione quadam frigoris, et frequenti ad mingendum ftimulo. Componitur ex irritabilitate veficæ (72), et fpasmodica colli ejus conftrictione (58. 139): quibus aliquando potus foeculentus affumtus, aut perfrigeratio, præfertim abdominis, occafionem præbent. Plus incommodi, quam periculi affert: atque e dictis caufis occafionalibus enata, non nifi tranfitorium quid eft. Alias inflammationem veficæ urinariæ tandem inducere valet: et remedia fpasmo contraria poftulat, una cum diaphoretico regimine obfervando.

Vid. Joh. Arnold FRIDERICI. Diff. *de Stranguria.* Resp. Phil. *Wernicio.* Jen. 1667.

§. 268.

§. 268.

DYSURIA aliam defcribit urinam emittendi difficultatem, cum ingenti mingendi nifu conjunctam; in qua urina pauca, et non nifi maximo cum conatu, atque dolore vehementiori, exprimitur. Conftat e dolore (138), fpasmo (139), irritabilitate nimia (72), et aliquando inflammatione (143) veficæ atque urethræ; nec non humorum ad hafce partes congeftione (88): nonnunquam e folo defectu muci in urethræ, quam urina tranfit, cavitate (124) nafcitur. Caufa eft, vel calculus veficæ, vel diureticorum (15) abufus, vel quæ et alias congeftioni atque inflammationi anfam dant. Malum periculofius eft præcedente, et interdum convulfiones (140) poft fe trahit: quod vero e defectu muci urethræ folo oritur, tranfitorium eft. Medicamenta, fpasmum et inflammationem debellantia, requirit.

Vid. Herm. Paul. JUCH. Diff. *fiftens Dyfuriæ Pathologiam et Therapiam.* Refp. Guftav. Frid. *Cleemann.* Erf. 1742. Joh. JUNCKER. Diff. *de Dyfuria fenili, ex motibus hæmorrhoidalibus oriunda.* Refp. Dieter. Jac. *Remmighaufen.* Hal. 1743.

§. 269.

ISCHURIA, five *urinæ fuppreffio*, adeft, quando urina nulla, per aliquot dierum fpa-

ſpatium provenit, quin etiam ne quidem ſtimulus ad eandem reddendam ſentitur. Componitur e ſpasmodica tubulorum renalium conſtrictione (58. 139), et urinæ defectu (122): aliquando e veſicæ colli anguſtia nimia, aut urethræ obſtructione (59). Cauſæ, præter conſuetas ſpaſmi cauſas, interdum ſunt: calculus veſicæ (264,**) hujus collum obſtruens, inflammatio (143) in eodem loco; tumor externe incumbens, aut uterus gravidus, ab extra comprimentes; calculus veſicæ minor, aut caruncula, urethram claudentes: ſpasmus, a tenesmo (260) ortum trahens. Niſi ante diem ſeptimum, aut cum eodem, abeat, utplurimum, accedente ſingultu, (229), vel convulſionibus (140), vel affectu ſoporoſo (193), lethalis evadit. Medicamenta cuilibet cauſæ appropriata: et, ſi viæ pateant, lenia diuretica (15) poſtulat.

* Inteſtinum rectum, ſcybalis induratis plenum, comprimendo veſicæ collum, iſchuriam producere poſſe, GARENGEOT *Splanchnol.* p m. 178. teſtatur.

** Vid. Henr. MEIBOM. Diſſ. *de ſuppreſſione urinæ.* Reſp. Joh. Albert. *Papke.* Helmſt. 1676. Aug. Quir. RIVIN. Diſſ. *de Iſchuria.* vid. Ej. *Diſs. Med.* Diſſ. XXXII. Joh. Adam. KULMI. Diſſ. *de Uteri delapſu, ſuppreſſionis urinæ et ſubſequutæ mortis cauſa.* Reſp. Joh. Eilhard. *Reinick.* Gedan. 1732.

§. 270.

URINAE INCONTINENTIA, morbus præcedentibus oppositus, quando scilicet urina justam in vesica moram, ad consuetam excretionem usque, non trahit; sed involuntarie, et absque stimulo solito præeunte, sive interdiu, sive nocte, profluit, vel guttatim, vel copiosius, vel continuo, vel per intervalla: aut componitur e colli vesicæ nimia dilatatione, ejusque elasticitate deficiente (57. 64): aut læsionem, in hoc collo, aut in urethra præsentem, et aperturam inconsuetam, habet pro basi. Causæ possunt esse calculus vesicæ (264, **), paralysis colli vesicæ (195); dilaceratio vesicæ aut urethræ in partu difficili; fistula perinæi, aliquando post lithotomiam residua, maxima imbecillitas in morbis quibuslibet magnis; animi desponsatio in morbis lethalibus. Ea speciatim, quæ non nisi nocturno contingit tempore, sine alio morbo conjuncto, pro fundamento habet pravam consuetudinem, a tenerrima ætate relictam. Maximum incommodum, per subsequentem immunditiem, parit. Ex sola imbecillitate orta, sponte abit. Reliquæ species causæ remotionem postulant.

Vid. Frid. HOFFMANN. Diss. *de Incontinentia urinæ ex partu difficili.* Resp. Henr. Andr. *Velthem.* Hal. 1724.

§. 271

§. 271.

POLLUTIO NOCTURNA dicitur involuntaria ſeminis, in ſomno, cum prægreſſa colis erectione, profuſio. Vel ſolam ſeminis abundantiam (108), et corporis bene valentis robur habet pro fundamento: atque tunc medela nec indiget, nec eam admittit, ad morbos quippe non pertinens, neque corpori noxam inferens. Vel oritur ab irritabilitate muſculorum, huc pertinentium, nimia (72); propter ſanguinis, per abuſum calefacientium (13), factam ebullitionem; aut propter quandam acredinem ſeminis (112); aut propter ſanguineam inflammationem (143) partium proxime vicinarum; quæ ſpecies morbi ſingulæ corporis totius atoniam ſenſibilem inducunt; chronicæ factæ difficulter eradicantur; et cauſarum remotionem expoſcunt. Vel denique fractum, quocunque modo, genitalium partium robur (137) ſupponit: tuncque, niſi roborantia conſueta (11), aut cauſarum, forte reſtantium, ablatio, ſuppetias ferant, inſanabile malum conſtituit.

Vid. Guern. ROLFINCK. Diſſ. *de Pollutione nocturna.* Reſp. Georg. Wolfg. WEDEL. Jen. 1667.

§. 272.

FLUOR ALBUS, qui eſt effluxus

muci,

muci, plus minus craſſi et copioſi, e vagina uteri, vel continuus, vel per intervalla rediens, aſt menſium fluxu durante penitus ceſſans: diſtinguitur in *benignum*, qui, hoc loco pertractandus, dicto modo procedit; et *malignum*, qui idem eſt cum gonorrhœa virulenta (274). Componitur e canalium vel arteriarum ſecernentium laxitate nimia et dilatatione (57. 79), muci in vagina copia nimia (108), et partium atonia (137).

Cauſam conſtituunt, muci ac ſeri in ſanguine, ſive lymphæ, aut abundantia generalis (104. 106); aut ejus recurſus impeditus, propter uterum gravidum, vaſis ſanguiferis majoribus incumbentem; vita ſedentaria: interdum abortus prægreſſi frequentes (279): et quæcunque dictarum partium robur infringunt.

Præter alia varia incommoda, cutisque vicinæ a continuo humore aliqualem eroſionem, ſpasmodicos dolores varios, præſertim circa os ſacrum, habet conjunctos: corpus debilitat, et malum conſtituit pertinax, roborantibus (11), et adſtringentibus (12) ſanandum. Ea vero ſpecies, quæ *gravidas* infeſtat, medelam nec admittit nec poſtulat, niſi poſt editum partum adhuc ſuperſit.

Vid. Guern. ROLFINCK. Diſſ. *de Fluore albo mulierum.* Reſp Theodor. *Rolfio.* Jen. 1661. Georg. Wolffg. WEDEL. Diſſ. *de Fluore*

ore albo. Resp. Georg. Erich. *Thill.* Jen. 1682. Joh. Hadrian. SLEVOGT. Diss. *exhibens matronam nobilem, fluore albo laborantem.* Resp. Carol. Maximil. *Held.* Jen. 1703. Joh. Philipp. EYSEL. Diss. *exhibens Pilam Coryzalem in uteri vagina,* Resp. Christian. *Volprecht.* Erford. 1709. Joh. Gothfr. BERGER. Diss. *de Fluore albo,* Resp. Christian. Benedict. *Carpzov.* Witt. 1711. Joh. Christoph. LISCHWIZ. Diss. *de Flure albo mulierum.* Resp. Hieron. *Cassio.* Kil. 1736. Joh. Adolph. WEDEL. Diss. *de Fluore albo* Resp. Augustin. Mich. *Eilhard.* Jen. 1742. Gustav. Christian. HANDWIG. Diss. *de Fluore albo, speciatim gravidarum.* Resp. Petr. Nicol. *Flamm.* Rost. 1747. Carol. Frid. KALTSCMIED. Diss. *de Fluore albo benigno.* Resp. Joh. Gottlieb. *Hentrich.* Jen. 1749. &c.

§. 273.

Gonorrhoea idem in maribus denotat, quod fluor albus (272) in fœminis: scilicet effluxum ex urethra, plus minus continuum atque copiosum, liquoris glandularum seminalium, aliarumque in vicinia sitarum, magis minusve mucosi et crassi. Distinguitur quoque in *benignam*, quæ hujus est loci; et *malignam*, de qua in mox sequentibus. *Prior*, in qua muci effluentis copia aliquando adeo est exigua, ut potissimum per madorem quendam, in indusio obvenientem, sese manifestet: canalium supponit laxitatem (54), itemque dilatationem (57), et partium huc

ſpectantium atoniam (137): ab omnibus atoniam inducentibus cauſis, ſi in haſce ſpeciatim partes agant, provenire poteſt: chronica facta, difficillime exſtirpatur: et roborantia (11), nec non adſtringentia (12) poſtulat.

§. 274.

GONORRHOEA VIRULENTA, in utroque ſexu, denotat effluxum materiæ purulentæ e genitalibus, poſt communicatum ipſis contagium venereum. Supponit ergo ſuppurationem in dictis partibus, poſt impurum concubitum, contingentem (146. 168). Liquor profluens flaveſcens obſervatur, ſanioſus, aut vere purulentus, aliquando virideſcens, acris, tegumenta corporis univerſalia vicina arrodens; inflammationes præterea adſunt, et ulcuſcula, verum pus vel ſaniem fundentia, itemque fiſſuræ, in externis etiam partibus interdum conſpicuæ; inſimulque laſſitudo, et atonia (137), totius corporis infeſtat: ac in malo graviori aſpectus faciei eſt pallidus, et oculorum ambitus livido colore diſtinctus. In mulieribus etiam tempore menſium non interrumpitur. Minus rite tractata, et nude ſuppreſſa, primo bubones in inguine excitat, deinde ſucceſſive luem veneream toti communicat corpori; methodice vero ſanata, citius ſuperatur, quam beni-

benigna. Medicamenta contra contagium venereum ſpecifica poſtulat, id eſt, mercurium, cujus edulcorati parcior utplurimum uſus ſufficit: præter ea adhibeantur diuretica leniora (15), balſamica (11), tandemque adſtringentia (12).

Vid. Joh. ZELLER. Diſſ. *de Gonorrhoea virulenta utroque in ſexu. R*eſp. Georg. Frid. *Gmelin.* Tübing. 1700.

§. 275.

MENSES NIMII, hæmorrhagiæ (170) ſpecies, ubi menſes vel in majori, quam par eſt, quantitate fluunt, vel juſto citius recurrunt, a reliquis hæmorrhagiis nullo differunt modo.

Vid. Joh. Theod. SCHENCK. Diſſ. *de Immoderato menſium profluvio. R*eſp. Sam. *Ochlitio.* Jen. 1665. Georg Wolfg. WEDEL Diſſ. *de Menſium fluxu immodico. R*eſp. Franc. Joh. *Erich.* Jen. 1688 Georg Ern. STAHL. Diſſ. *de menſium muliebrium Fluxu ſ. n. et ſuppreſſione p. n. R*eſp. Joh. Georg. *Brebiſs.* Hal. 1694.

§. 276.

MENSES EMANENTES, et SUPPRESSI, fluxus ſanguinis deficientis (171) genus: quando nimirum menſium fluxus, vel diutius juſto advenire retardat; vel, antea rite fluens, iterum ceſſat: in priori ca-

ſu ſanguinis deficientem elaſticitatem, atque partium atoniam (101. 137) arguit: in poſteriori, vel vaſculorum conſtrictionem ſpaſmodicam (80. 139), a refrigeratione partium inferiorum, in ipſo fluxu contingente ac graviori, cum alio quodam errore diætetico, ortam ſequitur; vel ingravidationis eſt conſequens. Inſignem corporis laſſitudinem univerſalem infert, in ſcalarum imprimis adſcenſu ſe manifeſtantem, et reliqua plethoræ (96) conſectaria, nec non chloroſi (173), viam ſternit, ut et aliis hydropum generibus (172). Quæ vero graviditatem pro cauſa habet menſium ſuppreſſio, neque laſſitudinem corporis dictam, neque reliqua poſt ſe trahit; ſed cum ea foeminæ ab his omnibus immunes degunt, nec medela indigent. Ceteris ægris medicamenta dentur roborantia et aperientia (11): cum diureticis lenioribus, imo et, inſtante ipſo fluxu, paulo fortioribus (15); atque interpoſitis pediluviis reiteratis.

Vid. Guern. ROLFINCK. Diſſ. *de ſuppreſſione menſium.* Reſp. Joh. Sigism. *Engelhäupt.* Jen. 1656. Sam. GEIDELIN. Diſſ. *de ſuppreſſione menſium.* Argent. 1663. Joh. Henr. GLASER. Diſſ. *de menſium ſuppreſſione* (151, ***). Joh. Gothfr. BERGER. Diſſ. *de ſuppreſſione Catameniorum* Reſp. Joh. Simeon. *Reinhard.* Witt. 1692. Georg. Ern. STAHL. Diſſ. *de fine menſium, initio morborum variorum opportuno*

tuno. Resp. Simon. Daniel. *Titio.* Hal. 1710. Mich. ALBERTI. Diss. *de initio Mensium, fine morborum.* Resp. Joh. Adam. Hartm. *Brebis.* Hal. 1727. Ej. Diss. *sistens casum menstrui fluxus anomali, animique pathematibus perturbati.* Resp. Wolfg. Theophil. *Glockengiesser.* Hal. 1741. Carol. Ludov. LIGER. Quæst. Med. *An menstruis morantibus chalybeata?* Resp. Joseph. *Lallemant.* Aff. *Paris.* 1743. Andr. Joseph. SERON. Quæst. Med. *An suppresso et immoderato catameniorum fluxui, Aperientia?* Resp. Joh. Claud. *Munier.* Aff. *Paris.* 1743.

§. 277.

HAEMORRHAGIA UTERI, hæmorrhagiæ (170) genus, gravidis in specie obveniens, dicitur, quando in his sanguis, tempore non consueto, et interdum brevi ante partum, e genitalibus copiose profluit. Sanguis hac ratione, vel e vagina emittitur, atque tunc, præter effectus generales, specialem non affert noxam: vel ex utero venit ipso, tuncque separationem placentæ ab utero, in spatio plus minus late extenso, arguit; sicque abortum (279) post se trahit facillime, et aliquando morte terminatur. Uterque affectus medicamenta, in hæmorrhagiis consueta, postulat.

Quænam in specie medela requiratur, si medicamenta data vim exserant nullam, ex autoribus *obstetriciis* addiscitur.

§. 278.

HYDROPS UTERI ejusque partium, hydropis interni (172) ſpecies, ubi vel ſerum extravaſatum in *utero* colligitur, aut in *tuba*, aut in *ovario*, ſive alterutro ſive ambobus; vel veſiculæ aqua plenæ, *Hydatides* dictæ, ibidem continentur: dictas partes, inſimulque abdomen, expandit, et graviditatis effectus quoslibet, excepto embryonis motu, gignit; in *utero* ſpeciatim, oris interni, a muco copioſius ſeparato, occluſionem ſupponit; exque eo, a cauſa quadam ſive occaſionali, ſive ſtudio admota, reſerato, aquarum profluxum, plus minus copioſum, aliquando poſt ſe trahit, cum morbi aut levamine aut plenaria ſolutione. Reliqua, ut in hydrope interno quolibet.

§. 279.

ABORTUS denotat foetus, ante juſtum pariendi tempus, id eſt, ante expletum graviditatis menſem ſeptimum, ſive vivi ſive mortui excluſio: eſt ergo partus præmaturus, in quo conveniunt, congeſtio ſanguinis ad uterum (96), et placentæ cum utero deſtructa cohæſio (56); quemque immediate præcedunt dolores partus veri, et utplurimum quoque uteri hæmorrhagia (277).

Cauſa

Causa est, quicquid tam motum sanguinis in genere auget, quam eundem ad uterum determinat, ipsumque aut embryonem fortiter lædit: animi nimirum, corporisque commotiones vehementiores, calefacientium (13) abusus, febris (248) fortior, spasmus (139) quilibet major, aliusque morbus quicunque vehementior; emmenagoga (15) assumta, vomitoria, purgantia drastica; diarrhoeæ immoderatæ (246); extensio abdominis, per manuum nimiam in altum extensionem; gestatio oneris prægrandis, hujusque sublatio in altum, aut auferendi conamen; ictus, contusiones, lapsus in terram, abdomen ferientes; embryoni lethales morbi.

Sæpius contingens, quasi habitualis fit, tuncque levissima occasione data redit; nec raro medelam omnem respuit: præterea fluori albo (272) occasionem subministrat. Præservative igitur, et curative quoque, cor animusque quieta serventur, cum adhibitis medicamentis, quæ sanguinis motum nimium temperant, id est, refrigerantibns (13).

Vid. Joh. Arnold. FRIDERICI. Diss. *de Abortu*. Resp. Matth. Zach. *Pilling*. Jen. 1665. Justin. Ortolph. MAROLD. Diss. *de Abortu, per vomitum rejecto*. Altorff. 1669. Joh. Jac. FICK. Diss. *de Abortu Epidemico*. Resp. H. T. *Witte*. Jen. 1697. Joh. BOHN. Diss. *de Abortu salu-*

falubri. Resp. Georg. Christian. *Werther.* Lipf. 1707. Georg. Christoph. DETHARDING. Diff. *de foetus immaturi exclusione.* Resp. Wilh. Frid. *Zander.* *Rost.* 1748. *Ej.* Diff. *de Abortu foeminae variolis laborantis innoxio.* Resp. Joh. *Behme.* *Rost.* 1749.

§. 280.

EMBRYONIS MOTUS NIMIUS dicitur, quando matri embryonis motus fit ultra modum dolorosus: et vel flatulentiam intestinorum (236), quae embrioni spatium necessarium adimit, habet pro causa; vel morbum quendam, huic supervenientem, e. g. convulsiones (140); vel robur foetus, partui vicini: omnes dolorum (138) consequentias post se trahit, et in sensibilioribus personis aliquando lipothymiam (181) infert. Pro causarum diversitate, vel remotione flatulentiae sanatur, vel medelam non admittit, vel non postulat. Palliative interim fascia latiori abdomen totum modice obvolvatur.

Vid. Casimir. Christoph. SCHMIEDEL. Diff. *sistens Pathologiam dolorum Gravidarum, Parturientium et Puerperarum.* Resp. Christian. Frid. *Joerdens.* Erlang. 1750.

§. 281.

DOLORES PARTUS SPURII sunt dolores (138) vagi, spasmodici (139), plus

plus minus vehementes, brevi ante partum abdomen transversim percurrentes, qui tamen ad promovendum partum nil quicquam conferunt, sed potius vires parturientis exhauriunt. Sæpissime flatulentiam atque saburram intestinalem (236. 237) habent pro fundamento: et, nisi brevi, quod alias faciunt, in veros partus dolores transeant, post adhibitum unum alterumve enema, anodina (11) exposcunt.

Vid. Joh. Hadrian. SLEVOGT. Diss. *sistens Dolorum partus spuriorum cum veris collationem.* Resp. Christoph. El. *Schelhass.* Jen. 1702.

§. 282.

DOLORES POST PARTUM sunt dolores spasmodici (138. 139) veris doloribus partus æmuli, sat vehementes, per vices infestantes puerperam, post exclusum foetum: qui vel flatus atque saburram intestinalem (236.237) præsentem sequuntur; vel secundinam sive totam, sive pro parte, in utero relictam, aut sanguinis grumos in eodem concretos, molam, aliaque ibidem forte restantia; vel refrigerationem incaute admissam; vel abdominis, antea dilatati, subitam subsistentiam: vires puerperæ exhauriunt, et reliquis quoque doloris ac spasmi consequentiis ansam dant: post causæ remotionem, anodinis (11) sanandi.

Vid.

Vid. Auguſtin. Henr. FASCH. Diſſ. *de Doloribus poſt partum.* Reſp. Frid. *Gerber.* Jen. 1683. Sim. *Paul.* HILSCHER. Diſſ. *ſiſtens curationem paucitatis Lochiorum et Dolorum poſt partum, in matrona Generoſa feliciter peractam.* Reſp. Joh. Henr. *Schade.* Jen. 1743.

§. 283.

LOCHIA NIMIA, hæmorrhagiæ (170) ſpecies, in qua poſt partum lochia, vel abundantius, vel diutius, quam decet, fluunt: aliquando abuſum medicamentorum aut potulentorum calefacientium (13) ſequitur. Reliqua eadem, quæ in hæmorrhagiis, ſunt.

§. 284.

LOCHIORUM SUPPRESSIO fluxus ſanguinis deficientis (171) ſpecies, in qua poſt partum lochia, vel parcius juſto, vel plane non fluunt: vel ſanguinis defectum, aliquando propter perpeſſam, aut brevi ante partum, aut in ipſo partus negotio, uteri hæmorrhagiam (277) habet pro fundamento, nec tunc medela indiget (171,**); vel inflammationem uteri atque febrem lochialem (285) ſequitur, hujus igitur poſtulans remotionem. Reliqua, ut in hæmorrhagiis deficientibus in genere.

Vid. Brand. MEIBOM. Diſſ. *de lochiorum ſuppreſſione.* Reſp. Juſt. Andr. *Richers.* Helmſt. 1717.

§. 285.

FEBRIS LOCHIALIS denotat febrem inflammatoriam (153), ab uteri, post partum, inflammatione ortam, et cum lochiorum supressione (284), quam post se thrahit, conjunctam: vel propter refrigerationem, abdominis praesertim, partiumque inferiorum, incaute admissam; vel propter aliam quamcunque causam, quae inflammationi producendae apta existit: omnes morborum, e quibus componitur, effectus post se trahit, quorum tamen, quoad inflammationem, suppuratio ceteris est longe rarior. Medelam haud aliam, quam in febre inflammatoria consuetam, poscit: externa tamen discutientia (59. schol.), propter loci opportunitatem, simul admittit.

* Quae praeterea ad *graviditatem*, sive consuetam, sive vitiosam, atque ad *partus* negotium, spectant: ea singula autoribus, de arte obstetricia agentibus, relinquuntur.

** Vid Georg. Ulric. MILLER. Diss. *de Inflammatione uteri*. Altorf. 1743. Jacob. Albert. HAZON. Quaest. Med. *An uteri inflammationi, post partum, Venaesectio e brachio?* Resp. Barthol. *Murry*. Aff. *Paris*. 1736. Joh. Christoph. POHL. Diss. *de Febre Lochiali*. Resp. Mart. Gottlob. *Halpitio*. Lips. 1753.

§. 286.

IMPOTENTIA GENERANDI, quae in maribus ſpeciatim *impotentia*, in foeminis *ſterilitas* audit, nec niſi de ætate congrua valet: præter cauſas morales, aliorſum pertinentes; vel ſupponit atoniam partium huc ſpectantium, a quacunque cauſa, nonnunquam a prægreſſo ſtimulantium uſu inepto, ortam (137); vel vitium quoddam locale, adeoque aut defectum, aut ſitum, aut volumen, aut conformationem, aut occluſionem, inconſuetam unius vel alterius ex iisdem partibus: et cauſarum, quarum ultimæ chirurgicam opem poſtulant, remotione ſanatur: quas inter, ſi inſanabiles exſtiterint; itemque *impotentiæ* ſpeciatim chronicæ, atoniam partis, roborantibus quibusvis (11) inſuperabilem, ſupponenti; nec non *ſterilitati*, propter ovulorum in ovario defectum, medicina ſupereſt nulla.

* Vid. Chriſtian. VATER. Diſſ. *de Sterilitate ſexus utriusque.* Chriſt. Henr. *Molweid.* Witt. 1711. Georg. Erneſt. STAHL. Diſſ. *de Impotentia virili.* Reſp. Benj. *Ewaldt.* Hal. 1697. *Ej.* Diſſ. *de Sterilitate foeminarum.* Reſp. Gottfr. *Wilhelmi.* Hal. 1711. Joh. Arnold. FRIDERICI. Diſſ. *de Sterilitate muliebri.* Jen. 1664. Herm. Frid TEICHMEYER. Diſſ. *de Sterilitate mulierum* Reſp. Joh. Carol. *Kovesdy.* Jen. 1743. Mich. ALBERTI. Diſſ. *de Infoecunditate corporis ob foecunditatem animi in foeminis.* Reſp. Carol. Gottfr. *Richter.* Hal. 1743.

** Con-

** Contraria huc affectui constitutio est *Satyriasis*, sive nimia in venerem propensio, de qua vid. Joh. *RIKEMANN.* Diss. *de Satyriasi sive Priapismo.* Resp. Joh. *Eschenbach.* Jen. 1670.

§. 287.

TREMOR ARTUUM denotat partium, e quibus artus, maxime superiores, componuntur, imo et capitis, mutua et continua, insimulque involuntaria, agitatio. Pro causa habet: vel plethoram (96), sanguinisque ebullitionem, aut ab animi, corporisque commotione vehementiori, aut a potu caffé nimis copiose assumpto: vel refrigerationem artuum majorem; vel insultum febrilem (148), aggredientem; vel atoniam (137), sive senilem, sive spirituosorum poculentorum abusu contractam, sive post morbum graviorem relictam. Usum partis tremebundæ, pro gradus diversitate, vel impedit, vel penitus tollit. Senilis, et helluonibus tandem accedens, medelam non amplius admittunt: reliquæ species, quarum causa est transitoria, sponte post aliquod tempus, post remotam saltem causam, abeunt.

Vid. Günth. Christoph. SCHELHAMMER. Diss. *de Tremore.* Resp. Joh. Phil. *Krauss.* Jen. 1692. *De stupore manuum* agit Diss. Joh. Arnold. FRIDERICI, Resp. Phil. Marc. *Marci.* Jen. 1667.

§. 288.

ARTHRITIS, quæ eſt inflammatio cum dolore ſpasmodico acuto, in articulis manuum ac pedum reſidens: diſtinguitur in *vagam*, quæ varios ſucceſſive articulos permigrat; et fixam, quæ in articulo unico diutius fixa hæret: atque hæc ultima ſpeciatim dicitur *Chiragra*, quando manum occupat; *Gonagra*, ſi in genu adſit; *Podagra*, ſi extremos pedes vexet. Componitur e congeſtione humorum, ſive plethora articulorum ſpeciali (96): ac dolore, ſpasmo, inflammatione, (138. 139. 143) in iisdem. Cauſam conſtiunt, plethora: diæta lauta: vita otioſa: calefacientium abuſus: venus nimia: aër humidus, vel vernalis, vel autumnalis: refrigerationes iteratæ poſt incaleſcentiam: accedente imprimis, ſecundum autores, diſpoſitione hereditaria. Febrem inducit proportionatam continuam (150), pavores in ſomno, appetitum plerumque proſtratum, alvum clauſam, ſpasmos aliarum quoque partium, e. g. colicam (253), &c. Per paroxysmos ſive reiteratas exacerbationes, tam generales, quam ſpeciales, affligit. Male tractata, ac nude repulſa, uti autores volunt, aſthmati convulſivo (216), ſingultui (229), variisque aliis ſpasmodicis atque convulſivis morbis, nec non inflammationibus internis, earumque conſequentiis, occaſionem ſubminiſtrat. Habitualis quandoque fit, atque

tunc

tunc ſæpius, et facillime revertitur. Anodina requirit, refrigerantia, attenuantia, diaphoretica (11-15), regimen diapnoicum.

Vid. Valentin. Henric. VOGLER. Diſſ. *de Arthritide.* Reſp. Olao *Oeſten.* Helmſt. 1657. Auguſtin. Henr. FASCH. Diſſ. *de Morbo Dominorum et Domino morborum.* Reſp. Paul. Henr. *Juch.* Jen. 1670. Joh. Ern. SCHAPER. Diſſ. *de Arthritide.* Reſp. Gerh. Matth. *Röhr.* Roſt. 1698. Polyc. Gottl. SCHACHER. Diſſ. *de Thermarum Carolinarum uſu in Arthritide* Reſp. Chriſtian. Frid. *Boettger.* Lipſ. 1709. Joh. Henr. HEUCHER. Diſſ *de Arthritide, ægrorum culpa inſanabili.* Reſp. Chriſtian. Georg. *Bebel.* Witt. 1712. Herm. Frid. TEICHMEYER. Diſſ. *de Arthritide.* Reſp. Henr. Petr. *Eichmann.* Jen. 1733. Joh. Chriſtoph. SCHMELLENTIN. Diſſ. *de Arthritide.* Harder. 1738. Joh. Franc. COUTHIER. Quæſt. Med. *An a vino Burgundo Arthritis?* Reſp. Leand. *Peaget.* 1739. Mich. Phil. BOUVART. Quæſt. Med. *An optima Arthritidi deviæ Epiſpaſtica?* Reſp. Petr. *Lalouette.* Aff. *Paris.* 1741. Carol. Ludov. LIGER. Quæſt. Med. *An Arthritidi Sapo?* Reſp. Carol. Franc. *Theroulde de Touloufe de Vallun.* Aff. *Paris.* 1747. Carol. Frid. KALTSCHMID Diſſ. *ſiſtens Arthritidem rationaliter demonſtratam.* Reſp. Paul. Jac. *Kniper.* Jen. 1750.

§. 289.

Arthritis vaga, arthritidis (288) ſpecies, in qua dolores arthritici et inflammatio plures ſucceſſive articulos permeant, nec, durante morbi decurſu, in unico præſertim fixa hærent: juniores potiſſimum invadit. Vehemen-

hementiſſimis doloribus, ſubito plerumque inchoat, vel in carpo, vel in tarſo, vel genu, vel digitis; ejusdem partis inflammationem, utplurimum tamen mitiorem, adducens: poſt aliquot horas, febris ac dolor remittunt, pars inflatur et deinde ſenſim iterum ſubſidet; ſicque interdum vix ultra viginti quatuor horas, ſaltem non ultra unum alterumve diem, morbus in hoc articulo durat: ſequenti autem die, plus minus tarde, idem morbus alterum quendam articulum, eadem ratione, vexat: atque ſic ex tarſo pedis, e.g. dextri, ad manus ſiniſtræ carpum ſe convertere poteſt; hinc ad tarſum, aut genu, ſiniſtri pedis; et ulterius, ad dextræ manus carpum migrare; ubique novos, et prioribus ſimiles, paroxysmos, ſive morbos ſpeciales producens. Sæpius recurrens, (quod fit utplurimum tempore vernali ſive autumnali) tandem in fixam arthritidem (290) tranſit. Externa remedia vix perfert. Reliqua, ut in arthritide.

* Cum arthritidi vagæ, pariter ac cuilibet morbo, morbi adhuc alii ſeſe jungi queant: hinc autores nonnulli *de arthritide vaga ſcorbutica*, id eſt, de arthritide vaga, cum ſcorbuto combinata, loquuntur (169,*)

** Vid. Juſti VESTI Diſſ. *de Arthritide erratica.* Reſp. Joh. Volrad. *Scholino.* Erf. 1700.

§. 290.

Arthritis fixa, eſt arthritis (288) in articulo

ticulo quodam diutius fixa hærens; nec, ut vaga (289), ab uno articulo ad alterum, subita mutatione, oberrans.

Paroxyſmi ſpeciales, ipſi quoque intra quatuor viginti utplurimum horas abſoluti, in eodem ſemper articulo inchoant. Quilibet ex iisdem ordinarie cum inſultu quodam febrili, aut verſus noctem, aut media nocte, aut poſt noctem mediam ſtatim, incipit: plus minus diu cum calore febrili, ad horas matutinas, aut antemeridianas usque extenditur: tandem, erumpente ſudore, febris ac dolor, magis minusve remittunt, et interdum plenarie quaſi abeunt: usque dum novus paroxysmus, nocte ſequenti revertens, dolorem in eodem articulo cum febre renovat, deinde ratione ſimili evaneſcentem aut miteſcentem. Dolor ille, ſi *Podagra* aut *Gonagra* adſit, per pedem totum; et *Chiragra* infeſtante, per manum univerſam, harumque partium muſculos, perioſtium &c. ſe diffundit. Reliqua quoque inflammationis et febris effectus obſervantur.

Morbus habitualis facile fit, plus minus ſæpe tunc recurrens, atque ſic potiſſimum vernali et autumnali tempore, quando aër eſt humidus frigidusque, recrudeſcit. Finito paroxysmo generali ſive morbo, ſtupor aut rigiditas artus affecti aliquamdiu remanet. Paroxysmorum, imprimis ſpecialium,

regularitatem varia accidentia, regimen incongruum, animi commotiones, &c. aliquando alterant et pervertunt. Quamdiu pavores in ſomno durant, tamdiu morbi finis non eſt ſperandus. Quo annoſior eſt podagra, eo diutius durant morbi atque paroxysmi ſinguli; eoque minus dolores ſunt acuti: et vice verſa. Tandem digitorum et artuum contracturæ accedunt: nec non circa digitorum articulos nodi, maſſa cretacea interdum repleti. Facile etiam ſeſe jungunt calculus renalis, aut ſaltem ejusmodi dolores: et ſabuli cum urina excretio.

Dolores vehementiſſimi cataplasmata, ex aqua et farina ſecalina cocta, craſſiſſima, calide applicata perferunt. Reliquæ arthritidis ſanationi cura addatur lactea, ſpecifice huic morbo medens.

* Urinam in paroxyſmo, quo magis dolores vigent, eo magis eſſe rubicundam, craſſam, cum ſedimento, quamdiu crudius eſt malum, pauciſſimo, pallidoque; quando morbus autem fit provectior, craſſiori, et ſubmucido roſeo: præterea parietibus vitri adhærere, nec non ad fundum demitti, copioſa granula crocei coloris, inſtar tartari, vult JUNCKER. *libr. cit.* Tab. XCVI.

** Vid. Joh. LÖSEL. Tract. *de Podagra.* Roſtoch. 1638. Herm. CONRING. Diſſ. *de Podagra* Reſp. Joh. Henr. *Haſselt.* Helmſt. 1659. Guern. ROLFINCK. Diſſ. *de Podagra.* Reſp. Joh. *Eſchenbach.* Jen. 1672. Ladisl.

Natal.

Natal. CATZII. Tract. *Podagra non minus facile curatur, quam Quartana.* Roterod. 1695. 4to. Frid. HOFFMANN. Diss. *de genuino et simplicissimo doloris podagrici remedio.* Resp. Stephan. *Kiraly.* Hal. 1697. Georg. Ernest. STAHL. Diss. *de Podagrae nova Pathologia,* Resp. Joh. Conrad *Tieffenbach.* Hal. 1698. Abrah VATER. Diss. *quae arcem Podagrae armis chimicis expugnabilem esse, demonstrat.* Resp. Joh. Frid. Christian. *Gercken.* Witt. 1724. Georg. DETHARDING. Diss. *de Causa materiali Podagrae, quae abstrusissima habetur.* Resp. Marc. Herford. *Peckel.* Hafn. 1736. Joh. JUNCKER. Diss. *disquirens: An et cur Podagra, aegrum gravius exercens, rarius recurrat.* Resp. Joh. Christian. Frid. *Küster.* Hal. 1745.

*** *Glossagram,* id est, dolorem in lingua, arthritico similem, addit Joh. Phil. EYSEL. Diss. *de Affectu rarissimo, Glossagra.* Resp. David. Christian. *Valther.* Erford. 1701.

§. 291.

RHEUMATISMUS denotat spasticos fixos dolores (138. 139) partium, imprimis musculorum, et prae ceteris brachii superioris, propter inflammationem lymphaticam (144) ibidem exortam: ac in brachio dolorem tum potissimum manifestat, quando id ipsum attollitur. Causae sunt, plethora (96): subitanea partis morbosae, post incalescentiam, refrigeratio: spasmi partium vicinarum. Malum constituit pertinax, ad plures quandoque septimanas extensum: et medicamenta postulat, anodina (11), exter-

na et interna attenuantia (14. 59. ſchol.), partisque ægrotæ diaphoreticum regimen continuo obſervandum, impoſitis, quæ ex lana aut pellibus conficiuntur, ſpleniis et obvolucris.

Vid. Gothof. MOEBII. Diſſ. *de Rheumatico affectu.* Reſp. Chriſtian. *Buncke.* Jen. 1649. Georg. Ern. STAHL. Diſſ. *de Rheumatismo.* Reſp. Godofr. *Müller.* Hal. 1707. Joh. Gothof. BERGER. Diſſ. *de Rheumatismo.* Reſp. Joh. Chriſtian. *Eckler.* Witt. 1707. Ludov. Claud. BOURDELIN. Quæſt. Med. *An e Rheumatismo recreatis, Pila, prophylacticum?* Reſp. Florent. Carol. *Bellot.* Aff. Paris. 1745.

§. 292.

Malum Iſchiadicum, Rheumatismi (291) ſpecies, in crure contingens, ſive vehemens dolor ſpaſticus, femoris muſculos interioraque occupans, cum ſenſu pali frigidiſſimi, ſecundum femoris longitudinem inter muſculos infixi: et dolorem adeo fortem inferens, ut æger vel ambulare prorſus non poſſit, vel ſaltem femori inniti nequeat, ſed curvus incedere cogatur. Reliqua, ut in Rheumatismo.

Vid. Georg. VVolfg. WEDEL. Diſſ. *ſiſtens ægrum laborantem dolore Iſchiadico.* Reſp. Martin. *Hobberg.* Jen. 1681.

§. 293.

ATROPHIA denotat atoniam (137) et contabeſcentiam (69) corporis, ac præſertim

tim partium artuumque ſuperiorum, tum et inferiorum, propter glandularum meſenterii et vaſorum lacteorum obſtructionem (59) ac ſucci nutritii defectum: quæ ætatem infantilem ac puerilem præ ceteris infeſtat,

Cauſæ ſunt: voracitas et appetitus inordinatus (232) alimentorum crudiorum ingurgitatio: humorum ſpiſſitudo nimia (90): hæmorrhagiæ nimiæ (170), vermes inteſtinorum (245), febres ſuppreſſæ (149): rarius viſcerum inſolitus ſitus atque connexio inconſueta (86).

Febrem inducit continuam (150) mitiorem, faciem pallidam, abdomen tumidum, ſæpius nodoſum: animi imbellicitatem, ſomnum levem inconſtantem: appetitum vagum: alvum modo adſtrictam, modo nimis laxam cum lienteria (246. 252): corporis totius ſucceſſive augeſcentem extenuationem.

Chronicum eſt malum, et ſanatu difficile. Ea vero, quæ vermibus originem debet, facilius reliquis ſuperatur. Remedia requirit relaxantia mitiora (11), et attenuantia (14), tam externa, quam interna.

* Atrophia aliquando ſpecialiores aggreditur partes, e. g. *oculi* bulbum, intactis reliquis.

** Vid. Joh. Jacob. JANTKE. Diſſ *de Atrophia infantum. Reſp.* Anton. *de Clericis*. Altorf. 1714. Joh. *Henr.* SCHULZ. *Diſſ. de Atrophia. Reſp.* Joh. David. *Heydrich. Hal.* 1735.

Joh. Valentin. CHUDEN. Diſſ. *de Methodo præſervandi et curandi atrophiam infantum.* Gött. 1746 Chriſtian. Steph. SCHEFFEL. Diſſ. *de Pædatrophia. Reſp.* Joh. Mich. *Mehlen.* Gryph. 1747.

*** Atrophiæ ſpecies quoque eſt *contabeſcentia* corporis propter alimenti defectum, qui in adultis aliquando ſtructuræ mutationem, partibus digeſtioni atque chylificationi dicatis ſupervenientem, pro fundamento habet (48. ſchol): aut compreſſionem oeſophagi, a ſtruma, aliove tumore adnato. Nec non *Marasmus ſenilis*, itidem ſtructuram fibræ ſenſim mutatam ſequens.


§. 294.

RHACHITIS, ſive *morbus anglicus*, eſt ſpecies atrophiæ (293), in qua oſſa et articuli firmitate naturali deſtituuntur, nodi in artubus accedunt, et ſuperaccretiones, tandemque oſſium cylindraceorum et ſpinæ dorſi incurvatio. Motui, uſuique partium valde officit: malum format adhuc periculoſius, quam atrophia conſueta; quod in gradu vehementiori conſtitutum, rariſſime ſanatur. Reliqua, ut in Atrophia.

Vid. Sigism *Rupert.* SULZBERGER. Diſſ. *de Rhachitide. Reſp.* Chriſtoph Andr. *Schöngaſt.* Lipſ. 1678. Laur HEISTER. Diſſ. *de Rhachitide Reſp.* Joh. Georg. *de Brocke.* Helmſt. 1725.



IN-



INDEX.

A.

Arthri-

Chloro-

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

V.



Præter leviores quosdam errores typographicos, in unica subinde litera, minus justa, constentes, e. g. pag. 2. lin. 26. *semeioticam*; 16. lin. 19. *suffultæ*, lin. 31. *evincunt* &c. B. L. legat pag. 27. lin. 21. (13.*)

- - 41 - 29. vid. *præter GALENUM in Libr. de Different. morbor. et Sympt.* itemque *in Libr. de Meth. Medend.*
- - 60 - 14. add. *Petr. Christoph. BURGMANN. Hypotheseos Stahlianæ examen de anima rationali corpus humanum struente. Rostoch.* 1735.
- - 65. lin. 21. *propterea*
- - 72 - 25. lateant, *aut non sint in promptu*;
- - 78 - 15. formantibus, *ac e compositis, complicatam ægritudinem sistentibus*,
- - 144 - 29. retardat, *et excrementorum colorem alterat*;
- - 145 - 15. vel *longiori vel*
- - 148 - 4. *aliquo modo* (195,***) admittit.
- - 150 - postulat. *Aliquando nauseæ* (234) *est effectus, aut vomitum* (235) *præcurrit: sic autem transitorium constituit malum.*
- - 170 - 23. præter *antiquissimos, e. g. GALEN. Method. med. Libr. XII Cap 8.* et alios
- - 178 - 20. EPILEPSIA.
- - 181 - 16. Pollicum *et* digitorum *manus.*
- - 187 - 22. durioribus, *itemque inter molliores, in minus elasticis.*
- - 194 - 17. quando, *cum aliquali puris copia*,
- - 196 - 13. 14. interna inflammatione sanguinea pag. 233. lin. 26. gula, *trachea*,
- - 260 - 8. alimentorum *sale conditorum*
- - 323 - 6. *post* incalescentiam
- - 328 - 10. *venæ*sectionem
- - 334 - 3. *faciei*
- - 347 - 30. commun*ia*
- - 388 - 5. vena, *vel nimius, vel sæpe nimis*, profluit;
- - 425 - 3. 4. *ac venientem hinc* defectum



